12.30.8

4502

Dr. A. Friederich.

SURGEON GENERAL'S OFFICE
LIBRARY.

Section, Dupl.

No. 175712.

3—1639

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Open Knowledge Commons and Harvard Medical School

http://www.archive.org/details/commentariusdete00trnk

COMMENTARIUS
DE
TETANO.

WENCESLAI TRNKA DE KR'ZOWITZ.

S. R. I. EQUITIS IN REGIA UNIVERSITATE TYRNAVIENSI ANATOMES PROFESSORIS PUBL. ET ORDINARII

COMMENTARIUS DE TETANO

PLUS QUAM DUCENTIS CLARISSIMORUM MEDICORUM OBSERVATIONIBUS,

NEC NON

OMNIBUS HACTENUS COGNITIS ADVERSUS TETANUM REMEDIIS INSTRUCTUS.

LIBRARY
SURGEON GENERAL'S OFFICE
JUL 2--1901

VINDOBONAE
Proſtat apud AUGUST. BERNARDI. 1777.

BOSTON MEDICAL
JUL 23 1903
LIBRARY.

ILLUSTRISSIMO

AC

MAGNIFICO VIRO

ANTONIO

LIB. BARONI

DE STÖRCK

SAC. CAES. REG. APOST. MAIEST.

CONSILIARIO AULICO,

ARCHIATRORUM COMITI,

INCLYT. FACULT. MED. VINDOBON.

PRAESIDI AC DIRECTORI,

NOSOCOMII CIVICI PAZMARIANI

PHYSICO,

SOCIET. BOTAN. FLORENT. ACAD. SCIENT.

SIEN. ACAD. PRINCIP. HASS. ETC.

MEMBRO.

OB

MERITA

IN

CAESARES, PATRIAM, ARTEM SOTERIAM,

OPTIMUM QUEMQUE

COMMENTARIUM HUNC

IN

MONUMENTUM PUBLICUM

VENERATIONIS

AC

OBSERVANTIAE

D. D. D.

W. TRNKA.

LECTORI S.
AUCTOR.

Cum biennio abhinc febrium intermittentium hiſtoria a me elucubrata in plurimorum Germaniæ noſtræ Eruditorum manus perveniſſet, tantum abſuit, ut irritus cuiquam ſuſceptus hic labor videretur, ut multo potius non defuerint, qui palam profiterentur, magnopere eſſe optandum, ut graviſſimi quique morbi eadem illa methodo elucubrati exſtarent. Quapropter circumſpicere cœpi, quænam potiſſimum ægritudo hunc ſibi laborem præ aliis vendicaret; neque diu hærebam dubius, cum continuo ſubiret animum, eſſe unam, quæ & a pauciſſimis (nec pro magnitudine ſua) deſcripta, & atrocitate ſua vix ulli ſecunda ſit, nimirum TETANUS.

Hunc

Hunc itaque Tibi Lector ſiſto , prout ab innumeris Cl. Viris eſt obſervatus. Quanto mihi tædio labor hic fuerit, ne memoriam quidem ejus fero.

Te intera hic paucis admonendum duxi, ut ſi e libello iſthoc fructum capere ſit animus, eum non curſoria (ut ajunt), ſed ſtataria lectione evolvas. Etenim complectitur obſervata inclytorum fama Medicorum, qui ab omni ævo per Græciam, Germaniam, Britanniam, Galliam, &c. imo Indias ipſas, medicinam ægris Tetano prehenſis fecere, & queis ſolis omnis de Tetano doctrina in acceptis debetur. Idcirco qua animi contentione, ſi ab ipſorum ore penderes, dare Te operam oporteret, ut ne vel hilum eorum, quæ dicerentur, m moriam fugiat, eadem ut induſtria illorum hic obſervata a me in unum collecta, ubi ubi mentio eorum injecta

fue-

ſuerit, volvas revolvaſque, Tibi etiam atque etiam auctor ſum.

Quodſi quinque ac vicenæ, ſupra ducentas, obſervationes nimis quam numeroſæ Tibi videantur, id ipſum documento ſit, haud ita infrequentem, ac vulgus Medicorum exiſtimavit hactenus, morbum eſſe Tetanum, neque etiam omnes illas fuiſſe adfuturas, niſi in ſymptomatologia, prognoſique (quas me numeris omnibus abſolutas dediſſe reor), ac paſſim alibi ad easdem provocandi fuiſſet cum utilitas tum neceſſitas, ut proinde integræ fuerint dandæ. Et quid, cedo! in tam utili juxta ac neceſſaria re intererat perituræ parcere chartæ? Interea tamen, etſi numeroſæ ſint obſervationes, dedi operam, ut ſingulas iis potiſſimum insererem locis, ubi legenti neutiquam oneroſæ ſunt futuræ, & ut prolixiſſimam quamque (ut ſuo in Auctore exſtat), ad ſummam, quoad ejus

fieri

ſieri poſſet, redigerem brevitatem, quin aut obſcura inde evaderet, aut quidquam ſcitu dignum ex eadem periret: id quod vel binæ BOLTENII a) ac SCHMUCKERI b) inſpectæ abunde perſuadebunt. Sunt tamen, queis vix aliquid exiſtimavi demendum, ſed eæ maximam partem ad remediorum ac in primis opii, mercurii, balneorumque uſum ſpectant, & eorum doſes, exhibendi tempora, modum, cautelaſque, & ſecutum inde varium effectum, velut in totidem prototypis tironem edocent, ut proinde medicæ id genus Tetani ephemerides ei noſocomii practici inſtar ſint habendæ.

Hæc fere erant Lector optime, quæ te prius haud ignorare volui, quam manum ad evolvendum libellum appelleres, ne poſtea vel Tuum

Te

a) Hiſtoria 46. p. 114. ſqq.

b) Hiſtoria 65. p. 144. ſqq.

Te præproperum, vel ſpecioſum (ut eſſe ſolet) obtrectatorum judicium corrumperet. Vale.

Dabam Tyrnaviæ Idibus Januar. CIƆ. IƆCC. LXXVII.

COMMENTARII DE TETANO

PARS I.

DE IIS, QUÆ AD COGNITIONEM TETANI PERTINENT.

BOSTON MEDICAL LIBRARY. JUL 23 1903

PROLEGOMENA.

VOx Τέτανος a τείνω *extendo* varie a variis latine eſt reddita. A. C. CELSUS *a*), ſcitiſſimus alioquin Medicorum Græcorum interpres, τέτανον *rigorem nervorum* vertit, σπασμον vero *diſtentionem nervorum* dixit. Hallucinari autem videtur ANUT. FOESIUS *b*), aſſerens τέτανον a CELSO *rigorem* alias, alias vero *rigorem nervorum* vocitari; nuſquam enim, quod ſciam, ita rem apud eum reperire eſt, niſi iis in ſententiis tantum, quæ cum σπασμȣ̃ tum τετάνȣ̃ vocabula complectuntur, quas ipſe Latio donaturus, cum poſterius *rigorem nervorum*, prius vero *diſtentionem nervorum*, ut paulo ante dictum, vocet, alterutri

a) De Medicina L. 2. C. 1. 7. L. 4. C. 3.

b) Oeconom. HIPPOCR. Sub voce τέτανος fol. 370.

tantum τὸ *nervorum* adjecit, ne, utrique eandem vocem adjiciendo, elegantiæ ſermonis Latini officeret. FOESIO ſane duæ ſequentes, aliæque hujuſmodi, CELSI ſententiæ impoſuiſſe (niſi me conjectura fallit) videntur, una *a*): „ ſi tumores ſu„ per ulcera ſubito eſſe deſierunt, idque „ a tergo incidit, vel *diſtentio nervo„ rum* vel *rigor* timeri poteſt „. Altera *b*): „ frigus modo *nervorum diſtentio„ nem*, modo *rigorem* infert, illud σπασ„ μὸς, hoc τέτανος Græce nominatur „. Quis autem ambigat, utraque in ſententia τό *nervorum* perinde ad *rigorem* vi orationis latinæ pertinere? præſertim cum id converſa apud eundem CELSUM ſcribendi ratio alibi *c*) confirmet in hæc verba: „ poſt magnos fervores corporis *nervorum rigor*, aut *diſtentio* „. Dic vero, „ poſt magnos fervores corporis nervo„ rum rigor, aut nervorum (vel eorum) „ diſtentio „ & omnem illico orationis elegantiam corrupiſti, quod ipſum de binis illis ſuperioribus ſententiis valet. Ubi autem de ſolo Tetano apud CELSUM ſermo eſt, ubique eum *nervorum rigorem* appellat. Sic *d*): „ neque tamen alius (in„ quid)

a) l. c. L. 2. C. 7.
b) Ibid. C. 1.
c) Ibid. C. 7.
d) Ibid. L. 4. C. 3.

„ quit) importunior acutiorque morbus „ eſt, quam is, qui quodam *rigore nervorum* modo caput ſcapulis, modo „ mentum pectori adnectit, modo re„ ctam & immobilem cervicem intendit: „ primum Græci ὀπισθότονον, ſequentem „ ἐμπροσθότονον, ultimum τέτανον appel„ lant „. At L. DURETO *a*) *rigoris* vox pro τετανῳ minus arriſit; eo quod *rigor* multo potius idem ſit, quod ῥῖγος Græcis, quodque minus appoſite CELSUS *horrorem in febribus* vertiſſe videtur, dum illud COI *b*) „ τὸ ψυχρὸν σπασμοὺς „ τετάνους, μελασμοὺς, ῥίγεα πυρετώδεα „ ita reddidit *c*): „ frigus modo nervorum „ diſtentionem, modo rigorem infert, „ — nigrorem in ulceribus, & horro„ rem in febribus excitat „. Quæ forte cauſſa exſtitit, quod noſtri ævi homines CAEL. AURELIANUM *d*), qui τέτανον *diſtentionem* vertit, potius, quam CELSUM, ſunt ſecuti, præprimis vero ANUTIUS FOESIUS.

a) Comm. in HIPPOCR. Coac. L. 2. C. 14. n. 15. fol. 231.

b) Sect. 5. Aphor. 17.

c) l. c. L. 2. C. 1.

d) Acut. Paſſion. L. 1. C. 6.

LIBERI.

DE VARIIS TETANI GENERIBUS.

CAPUT I.

TETANI FIGURATI.

§. I.

TEtanus univerſim *eſt muſculorum flexorum vel ſolorum, vel ſimul & extenſorum univerſi corporis, aut membri tantum, convulſio tonica.* Hujus apud Græcos, *figuram* ſi ſpectes, tria reperiuntur genera, nimirum τέτανος (tetanus), ὀπισθότονος (opiſthotonus), ἐμπροσθότονος (emproſthotonus). HIPPOCRATES *a*) τέτανοι τρεῖς inquit; tum alibi *b*): τέτανοι δύο ἢ τρεῖς, i. e. *Tetani duo vel tres.* Perinde GALENUS *c*), ARETAEUS *d*), CELSUS *e*), &c, tres modo dictos Tetanos deſcripſere. At C. AURELIANUS *f*) *opiſthotonum* ac *emproſthotonum*, ut binas *tetani* ſpecies, acce-

a) De intern. affectionib. FOES. T. 1. fol. 561.

b) De dieb. judicator. Ibid. fol. 57.

c) Comment. ad HIPPOCR. Sect. 4. Aphor. 57. Item de Tremore.

d) De cauſ. & ſign. acut. morbor. L. 1. C. 6.

e) l. c. L. 4. C. 3.

f) l. c.

accepit. Hæc ut ut ſint, quatuor nos figuratos eſſe tetanos videbimus; interea, cum figura corpori non niſi duplex conciliari queat, videlicet aut curva, aut recta, magis e re Tetanus in *curvum* alium, alium *rectum* dividendus eſſe videtur.

§. 2.

I. TETANUS CURVUS eſt, in quo muſculi flexores aut totum corpus, aut unam ejus partem violente curvant: proindeque eſt

A. *Univerſalis*, dum muſculi flexores capitis, trunci, artuumque, ſeu antici, ſeu poſtici, utriuſque vel unius lateris ita convulſi rigent, ut corpus vel antrorſum, vel retro, vel in latus curvatum teneant. Omnes hos modos HIPPOCRATES *a*) communiter *Tetanos lumbares* nominare videtur; ſed ſingulis quoque ſua ſunt nomina: etenim

1.) „Ἐμπροσθότονος (*emproſthotonus*) eſt ſpaſmus muſculorum caput, collum, thoracem, lumbos ad anteriora flectentium„ *b*), ita ut poſtica corporis regio convexa, anterior concava evadat. Hocce tetani genus C. AURE-

a) De rat. vict. in morb. acut. & de morb. L. 3.

b) BOERHAAV. Inſtit. Med. §. 864.

LIANUS *raptum pronum*, FOESIUS in COI verſione *diſtentionem in anteriora* vocat.

2. „ Ὀπισθότονος (*opiſthotonus*) „ eſt ſpaſmus muſculorum caput, cervicem, „ dorſum retroflectentium „ *a*); ita ut dorſum concavum, pectus convexum reddatur: C. AURELIANO *raptus ſupinus* vel *poſterganeus*, FOESIO *diſtentio in poſteriora* dictus.

3.) Πλευροθότονος (*pleurothotonus*, nomen ab ſeniore BOENNECKEN *b*) conditum) eſt ſpaſmus muſculorum caput, collum, thoracem, lumbos in alterutrum latus flectentium. Nuſquam apud Veteres hujus tetani vel veſtigium exſtat; eapropter eundem negavit dari MERCURIALIS *c*): „ nunquam videbitis (inquiens) „ convulſos in alias partes contrahi, & „ in alias figuras, quam in tres enumeratas „ hactenus. Cauſam etiam adjecit P. de SORBAIT *d*) dicens „ quia laterales (tetani) ob ſitum nervorum „ ſunt impoſſibiles „. Viſum tamen ab ſe Pleurothotonum teſtantur A. de HAEN *a*), VAL-

a) Ibid.

b) Fränk. Samml. 6 B. 31. St. 3. Art. p. 38. ſqq.

c) Prælect. Patav. L. 1. C. 25.

d) Med. Pract. P. 1. C. 5. Obj. 3. fol. 232.

a), VALSALVA *b*), BOENNECKEN *c*),
FERNELIUS *d*). Poſtremus „ convulſionis *Hiſtor.* 1.
„ (ait) ſpecies rara quædam non ita
„ pridem mihi occurrit, non extremas
„ ſolum, verum alias quoque partes im-
„ petens. Ea quotannis hyeme dunta-
„ xat, ſed bis terve quotidie, affligebat.
„ Caput primum in acceſſione vibratione
„ quadam ex intervallis contorquebatur,
„ hinc ſenſim malum per cervicem fri-
„ goris ſenſu devolvebatur: cumque in-
„ ter ſcapulas irruebat, illæſa mente, in-
„ tegrisque ſenſibus opiſthotono corpus
„ rigebat. Cum vero in alterutrum la-
„ tus, aut in brachium, aut in crus ex-
„ cutiebatur, ita arcte id protinus con-
„ trahebatur, ut nulla adſtantium vi ex-
„ porrigi poſſet, dum prorſus conquie-
„ ſceret acceſſio „. Verum quidem eſt,
pleurothotonum HAENII, FERNELII ac
VALSALVAE fuiſſe non niſi opiſthotoni
effectum; ſed absque iſto quoque illum &
BOENNECKEN ſua in ægra vidit, & ali-
as etiam HAENIUS *e*): „ noſocomium *Hiſtor.* 2.
„ meum (inquit ille) mulierem habet,
„ quæ a violenta colli contorſione obſti-
„ po capite laborans per intervalla in læ-

a) Rat. Med. P. 10. C. 4. §. 2.
b) Vid. §. 16. Hiſt. 16.
c) l. c.
d) Pathol. L. 5. C. 3.
e) l. c.

„ vum latus ſic incurvatur, ut Roma-
„ nam litteram C referat „. Pleurothotonusne fuit periodicus feminæ ſpaſmus, pro epilepſia habitus, quem CHOMEL *a*) obſervavit?

B. *Singularis*, dum unius cujuſpiam membri (v. c. brachii, cruris, &c.) muſculi flexores tonice convulſi illud flexum tenent.

§. 3.

II. TETANUS RECTUS eſt muſculorum cum flexorum tum extenſorum, ſeu ad totum corpus, ſeu unam tantum partem pertinentium, ſimultanea convulſio tonica. Proinde

A. *Univerſalis*, ſeu τέτανος proprie κατ᾽ ἔξοχην, i. e. omnium totius corporis muſculorum tam flexorum, quam extenſorum ſimultanea convulſio tonica *b*): eſtque rurſus

1.) *Imperfectus* ſeu *minus exquiſitus*, dum una alterave corporis pars vel aliquatenus, vel prorſus mobilis perſtat, ceteris immobilibus. Huc proinde HOECHSTETTERI *c*) puella tetanica & CARTERI *d*) vir, queis difficilis tantum bra-

a) Act. Pariſ. 1737. Hiſt. Obſ. anat. 7.

b) BOERHAAV. l. c.

c) Vid. §. 112. Hiſt. 160.

d) Vid. §. 125. Hiſt. 176.

brachiorum erat motus, ſunt referendi, uti & WATSONI *a*) ægra, univerſali tetano correpta, motu in ſolo brachio lævo ſuperſtite: quod idem ſuo in adoleſcente notavit DUBOUEIX *b*); perinde tetanica PUIOLI *c*), cujus linguæ, oculis, digitisque ſpaſmus pepercit, &c.

2.) *Perfectus* ſeu *exquiſitus*, in quo omnia omnino membra ſunt prorſus immobilia, quemadmodum in ægris R. LENTILII *d*), WEPFERI, *e*), CELLIERI *f*), &c. videri poteſt.

B.) *Singularis*, ſeu ſimultanea muſculorum flexorum juxta ac extenſorum ad eandem partem pertinentium convulſio tonica *g*). Haud infrequentes ſunt id genus tetani recti, nempe

1.) *Oculi*. I. ERHARDUS *h*) meminit pueri decennis, qui ultra annum ſæpius ex improviſo oculorum & colli ſpaſmo perhendebatur, ita ut primo viſus obſcuraretur, dein oculi fierent immoti, nullam in partem convertendi; poſtea caput quoque & collum retraheretur. Momentum durabat inſultus, nihil poſt ſe

Hiſtor. 3.

 mali

a) Vid. §. 155. Hiſt. 214.
b) Vid. §. 136. Hiſt. 194.
c) Vid. §. 130. Hiſt. 180.
d) Vid. §. 5. B. n. 4. Hiſt. 14.
e) Vid. Ibid. Hiſtor. 13.
f) Vid. §. 140. H. 196.
g) BOERH. l. c.
h) Apud HORST. Epiſt. Med. L. 2. Sect. 20. p. m. 635.

mali relinquens; ſed ter quaterve de die repetebat.

Hiſtor. 4. 2.) *Capitis* & *Colli*, qualem femina 46 annos nata, narrante BIERLINGIO *a*), ex terrore contraxit, ita ut caput nullam prorſus in partem movere poſſet. Circa verticem levis tumor rubens cum ſummo dolore aderat. Pulſus celer, vigiliæ, anorexia acceſſere; ſed calor mediocris, nec reſpiratio aut deglutitio læſa: interea modo pedem, modo brachium movebat, inſignisque dolor cervicem inſedit. Cumque alvus ſimul eſſet adſtricta, lene primum catharticum datum, poſtea ſpecificum cephalicum, & emplaſtrum e nervinis confectum, & V. S. morbum ſenſim profligarunt.

3.) *Maxillæ* inferioris, ſive *Triſmus tonicus*, quem muſculi crotaphitæ, maſſeteres, ac pterygoidei utrique tonice convulſi producunt: de quo alibi *b*) fuſius agendi locus erit.

4.) *Artuum* ſuperiorum vel inferiorum. *Brachii* tetanum rectum, præter VALSALVAM *c*), etiam Diſſertatio G. LEHMANNI, ſub A. VATERO Præſide *d*), ſiſtit

a) Thes. theor. pract. Obſ. 56. p. 735.

b) Vid. §. 19.

c) Vid. §. 16. Hiſt. 16.

d) De conſenſ. part. C. H. occaſione ſpaſmi in manu ex hernia. Vitemb. 1741.

ſiſtit plane ſingularem. Vir ſex ſupra quadraginta annos natus, grave onus cohibito ſpiritu levans, oborto mox atroci inguinis dextri dolore, qui poſtea aliquot dies continenter creſcens illum pene enecuit, proſternitur. Sedato illo tandem erupit ex inguinis dextri annulo enterocele, ſenſim in ſcrotum uſque prolapſa. Ex hoc tempore homo, citra cauſſam etiam, preſſivos interdum inguinis dolores, anxietates, cephalalgiam, languorem toto corpore, per unum alterumve diem experiebatur, crebrius id quidem recenti in morbo, poſtea rarius: cetera vero per omnia ſanus, niſi quod inter labores ex improviſo brachium dextrum dolorificus tetanus extenderet cum violenta medii & annularis digiti contractione, quos non niſi admota læva manu, flectendo cubitum, omni adhibita vi reſtituere poterat. Hoc ſymptoma 2do aut 3tio mox die ab hernia nata occepit, primiſque temporibus ſæpius (bis terve per diem, horamque durans) redibat, dein per plures etiam hebdomades aberat; repetebat vero vel cum aliis illis dictis ſymptomatis, vel ſine his etiam. *Crurum* tetanum EUTYCHIDI ex cholera accidiſſe HIPPOCRATES *a*) obſervavit. Eundem in primipara vidit HARDERUS *Hiſtor.* 5.

cru-

a) Vid. §. 43. Hiſt. 48.

a). At LOEW *b*), quod mirabile eſt, crurum tetanum continuum cum triſmo tonico remittente junctum curandum habuit.

5.) *Lumborum*, quem C. HELWICH *c*) in matrona obſervavit.

CAPUT II.

TETANI CONTINUI ET INTERMITTENTES.

§. 4.

Viſis variis tetanorum figuris, *typos* quoque eorum pernoſcere oportet; ſunt enim tetani *continui*, ſunt *intermittentes*. Tetanus

A. CONTINUUS eſt, qui ægrum haud prius dimittit, quam vel in mortem deſinat, vel in ſanitatem; hicque ipſe, ut recte HAENIUS *d*) notat, eſt rurſum duplex: nimirum

1.) *Continens*, qui non interrupta ſymptomatum ac ſpaſmi duratione & vehementia, incremento, ſtatui, decrementoque morbi proportionata, in mortem vel ſanitatem tendit. Talem M. de CI-

LA-

a) Theſ. Obſ. Med. rar. Obſ. 39. p. 177.

b) Vid. §. ſeq. A. n. 2. Hiſtor. 6.

c) Vid. §. 135. H. 190.

d) l. c. §. 5.

LANO *a*) opiſthotonum, emproſthotonum H. SCHULZE *b*) & Varſavienſes *c*), tetanum rectum LENTILIUS *d*) ac WEPFERUS *e*) litteris mandarunt. Interea tetanus rectus plerumque hoc typo gaudet.

2.) *Remittens*, cujus ſpaſmus ac ſymptomata per vices jam gravius increſcunt, jam iterum a vehementia remittunt, quin tamen ex toto deſinant. Typus hic opiſthotono præ aliis tetanis eſt familiarior, quem vivis coloribus depinxit CHALMER *f*), & W. FARR *g*) ſuo in opiſthotonico eſt expertus. Inter rariores vero eſt referendus LOEWII *h*) caſus tetani remittentis cum continente complicati. Iuvenis 20 annis major, intermittente febre aliquoties prehenſus, integro poſtea menſe apyretus, ex improviſo maxillæ crurumque tetano cum tremore artuum eſt correptus, ita ut triſmus per vices urgeret gravius, remitteretque, at non intermitteret prorſus. Aſſultus nycthemeri ſpatio ſæpius repetebant, non tamen ultra $\frac{1}{4}$ horæ affiixere. Singuli a tre- *Hiſtor. 6.*

---

a) Vid. § 54. Hiſt. 89.
b) Vid. §. 118. Hiſt. 169.
c) Vid. §. 130 Hiſt. 182.
d) Vid §. 5. B. n. 4. H. 14.
e) Vid. Ibid. Hiſt. 13.
f) Medic. Bemerkung. u. Unterſuch. einer Geſellſch. von Aerzt. in London. 1. Bnd. n. 12. p. 81. ſeq.
g) Vid. §. 124. Hiſt. 173.
h) Miſc. Nat. Cur. Dec. 2. ann. 8. Obſ. 127. p. 279.

tremore omnium artuum occipiebant; tum os arctiſſime claudebatur, adeo ut quid quid eo tempore dentibus intervenit, commorderetur penitus, citra ullum alium tamen faciei ſpaſmum. Remittente malo os amplius diduci potuit, haud tamen usque eo, ut & claram loquelam, & cibos ſolidiores indi, pateretur, quod alterum ſimul dolor in maxillæ articulis inter maſticandum obortus prohibebat. Unde etiam ſolis liquidis, quorum deglutitio expedite fiebat, ægro utendum fuit. Cetera nec ſomnus defuit, nec appetentia. At crurum tetanus remiſit nunquam, ægrumque perpetuo genibus extenſis cubare, erigi, ſtare, ſedereve oportuit. Poſt admotum temporibus empl. de Tacamahac. cerat. de Ladan. aa ℈ j. c. Balſ. Peruv. ℈ j. ac data interius nervina antiſpaſmodica, perfrictosque unguento ejuſdem indolis articulos maxillæ ac ſpinam dorſi, intra quatriduum inſultus remiſere adeo, ut intra 24. h. ſemel tantum rediverint. Interpoſito demum cathartico, continuata nervina, uſurpata balnea ex herbis nervinis, ac bina veſicantia ad nucham adhibita morbum poſt octiduum plane profligarunt.

B. INTERMITTENS porro eſt, qui ex æquis incertisve intervallis & repetit,

tit, & ex toto rurſus deſinit, qualis erat opiſthotonos FERNELII *a*) RHODIIque *b*), Pleurothotonos HAENII *c*) ac BOENNECKENII *d*), tetanus univerſalis rectus BILFINGERI *e*), particulares LEHMANNI *f*), ERHARDI *g*), &c. Omnes hi ex incertis intervallis redibant; qui vero exactas periodos obſervant, plerumque ad intermittentium febrium naturam pertinent, uti quem STÖRCK *h*) profligavit. COO *i*) quoque hic tetani typus non videtur fuiſſe incognitus; poſteaquam enim tetani ac opiſthotoni deſcriptionem dediſſet, tum, eſt, inquit, & „ alia diſtentio. Hæc „ diſtentio minus, quam priores, lethalis „ eſt;ab iisdem autem oritur. Plerique vero „ ex caſu in poſteriora in morbum inci„ derunt. Sic igitur afficitur æger: cor„ pus totum convellitur; interdum vero „ ad quamcunque corporis partem forte „ contigerit, ea convellitur. Et primum „ quidem circumobambulat, deinde ſuc„ ceſſu temporis in lectum decidit, rur„ ſusque dolor & convulſio remittit. „ Cum-

a) Vid. §.2. A. n.3. H. 1.
b) Vid. §. 140. Hiſt. 198.
c) Vid. §. 2. A. n. 3. Hiſtor. 2.
d) Vid. §.116. Hiſt. 164.
e) De Tetano Sect. 3. §. 5. p. 45. ſq.
f) Vid. §.3. B. n.4. H.5.
g) Ibid. n. 1. Hiſtor. 3.
h) Vid. §.114. H. 161.
i) De intern. Affection. ad calcem.

„ Cumque ſurrexerit, ſi forte paucos di-
„ es huc & illuc oberrarit, poſtea rur-
„ ſus iiſdem conflictatur doloribus. At-
„ que hæc ei contingunt, crebroque mu-
„ tatur. Si quid comederit, id non niſi
„ ægre & exuſtum ad inferiora ſecedit,
„ ſed ad pectus cibus defertur, & ſuffo-
„ cationem facit. Hunc ſi eodem, quo
„ priores, modo curaveris, citiſſime ſa-
„ num reddideris „. Neſcio autem, quid alieni a tetano hac in deſcriptione BILFINGERUS *a*) repererit; nam „ quo-
„ modocunque (ait) eam vertamus,
„ ad nullum morbum, niſi ad epilepſiam
„ proprie ſic dictam, quadrat „. Ego vero deſcriptionem hanc tam parum genuinæ epilepſiæ convenire video, ut eodem jure eam, niſi diſertis verbis COUS ſe de tetano periodico agere profiteretur, cuilibet convulſioni per intervalla affligenti adaptari poſſe exiſtimem. Sed quod obſcure docuit HIPPOCRATES, exempla illuſtrabunt. Primum eſto e BILFINGERO

Hiſtor. 7. paulo ante citatum: ſtudioſus 20. annorum, temperans, at ob ærumnam diutinam, a libris etiam digreſſus, meditabundus, jam a biennio tetanum periodicum patiebatur hunc in modum: ex impro-

a) l. c. Sect. 1. §. 2.

proviſo cephalalgia cum quadam ante oculos nubecula, vel phænomena lipothymiæ imminenti ſolennia primum invadebant, quæ mox univerſi corporis rigor excepit cum omnium ſenſuum motuſque abolitione. Poſt mediam plerumque horam inſultus ſolvi cœpit, quod futurum indicabat nonnunquam valida brachiorum oborta jectigatio, ac verſus adſtantes incredibili vi agitatio. Ceterum nec in oculis, nec facie ulla ſigna convulſionis viſebantur. Finiti inſultus certum erat indicium ſitis ingens cum ſiccitate oris. Totius acceſſionis duratio 6. 8. 15. 30. minutorum, vel horæ unius erat; ſub ea pulſus vix percipiendus, poſtea plenus & gravis. Inſultus bis ter una vel die vel nocte revertit, ſubinde hebdomades & menſes aberat; tandem in annum inducias dedit. Intercalari tempore æger nihil queſtus. Frequentiam aſſultuum repetita V. S. imminuit. Poſt ſolutum paroxyſmum narium hæmorrhagia aliquoties oborta eſt, debilitasque virium, non tamen diuturna, ſuperfuit, ſimulque interdum notabilis in abdomine inquietudo. Quod ſi intra paucas horas bini tresve inſultus contigere, medio inter illos tempore æger non usquequaque valuit, inquietus. Nonnunquam intercalari tempore graves, atque

$\frac{1}{4}$ horæ durantes, lipothymiæ infeſtæ fuere. Nullæ lunæ phaſes morbum vel auxere, vel minuere, licet noviſſimi inſultus nocte plenilunium ſecuta vehementiſſimi fuerint, deciesque intra 6. dies repetierint. Iidem a prandio vel cœna liberaliore plerumque revocabantur. Alvus libera ſemper, ſudor nullus, nec in acceſſione, nec alias: hac finita priſtinus redibat calor. Singulare erat, ſex illis diebus hybernis ab ægro lotium in hypocauſto calido, ut ut conaretur, reddi nullatenus potuiſſe; ut primum vero vel intra januam apertam, vel in area conſtitit, ſponte idem erupiſſe. Alterum exemplum ſuppeditat I. WEISMANNUS *a*): ſutor 32. annorum bilioſus, iræ vinoque auſtero deditus, poſt toleratos cervicis dolores jam preſſorios jam pungentes, tum per ſemeſtre primum quotidianam, dein tertianam, demum quartanam, natumque ex his icterum, quæ tamen ſolo beneficio naturæ ſenſim evanuerant, annos aliquot ſanus vixit. Poſtea vero levi ſyncope infeſtari cœpit, cum inſigni circa ſtomachum pulſatione, ſenſuque ventriculi adſcendentis vel anguis ſub integumentis communibus ſecundum œſo-

Hiſtor. 1.

a) Miſcell. Nat. Cur. Cent, 3. Obſ, 72.

œſophagum ad gulam tendentis, quo ubi perventum eſt, globus hyſtericarum ſimilis oriebatur nec deglutiendus nec deorſum premendus. Hæc dolor membrorum omnium, præſertim artuum, punctorius nunc vagus, nunc fixus, varie durans, eſt conſecutus: digiti manuum, dextræ imprimis, retracti adeoque incurvati ſunt, ut reſtitui non poſſent; aderat laſſitudo ac macies, appetitu tamen integro. Facta in pede larga V. S. malum per 2. hebdomades mitigavit. Sed gravius poſtea rediit vel ſingulis vel alternis hebdomadis in hunc fere modum: poſt præviam viſus obſcurationem, ſuſurrum aurium, temporum pulſationem, anxietatem ſuffocantem, brachiorum tremorem, ac tendinum in iisdem ſubſultus æger frigidus toto corpore obrigeſcebat ſaxi inſtar, oculis clauſis, rictu aperto, abſque motu, ſenſu, reſpiratione. Soluta poſt $\frac{1}{2}$ h. acceſſione ſemiſtupidus, paſſionis ſuæ non prorſus inſcius, per aliquot horas placide dormiebat. Atque hæc de typis tetanorum dixiſſe ſufficiet.

CAPUT III.

TETANI ACUTI ET CHRONICI.

§. 5.

Percenſita hactenus tetanorum genera non omnia ejuſdem ſunt *durationis*. Sunt tetani, qui celerrime, ſunt alii, qui ſerius decurrunt, ut proinde omnis tetanus vel *acutus* ſit, vel *chronicus*.

A. ACUTUS dicendus, qui cito periculoſeque decurrit. Sed quemadmodum varii ſunt acutorum morborum termini, ita & ipſorum tetanorum, adeo ut nullus illorum ſit, quem hi non ſint viſi emetiri. HIPPOCRATES quidem primum tetanos omnes in acutiſſimorum morborum claſſem retulit, inquiens *a*): „ qui tetano corri„ piuntur, intra 4. dies pereunt, quos „ ſi effugerint, ſaneſcunt „. Poſtea tamen illos & peracutos, & acutos exacte, ſimpliciter, ex decidentia eſſe poſſe pronunciavit. Etenim de tetano recto univerſali agens *b*) „ hic (æger) 3^{tio} aut „ 5to aut 7mo aut 14to die (inquit) pe„ rit: quos ſi effugerit, convaleſcit „. De

a) Sect. 5. aph. 6.

b) De morbis L. 3.

De opiſthotonicis vero *a*) „ hi (ait) „ voce ſoluta 3tio die moriuntur, & per „ nares rejiciunt; quod ſi contigerit, ut decimum quartum effugiant, convaleſcunt„. Tandem alibi *b*) opiſthotonum acutis ex decidentia accenſuit dicens: „ hic vero „ morbus ut longiſſime ad dies 40. deti„ net, quos ſi effugerit (æger), con„ valeſcit „. Et ſane hæc aliorum experientia ex ordine confirmat. Viſus enim eſt tetanus

I. *Acutiſſimus*, i. e. intra quatriduum (quod ſtadium juxta GALENUM *c*) eſt acutiſſimis morbis proprium) aut perimens, aut ſolutus.

a.) *Perimens* die 4to obſervatus ab ACKERMANNO *d*), BONTIO *e*), FORESTO *f*), MORGAGNIO *g*), PLENCKIO *h*), VALLERIOLA *i*): die 3tio ab ACKERMANNO *k*), AMATO *l*), BAIONO *m*), COO *n*), GOERITZIO *o*), HEISTERO *p*), KUNDMANNO *q*): die

a) Ibidem.
b) De intern. affectionib.
c) De dieb. decretor. L. 2. C. 12.
d) Vid. §. 37. Hiſt. 22.
e) Vid. §. 49. Hiſt. 58
f) Vid. §. 55. Hiſt. 119.
g) Vid. §. 54. n. 3. Hiſtor. 115.
h) Vid. Ibid. H. 107. 111.
i) Vid. §. 51. Hiſt. 71.
k) Vid. §. 66. n. 1. Hiſtor. 141.
l) Vid. §. 54. n. 1. H. 88.
m) Vid. §. 59. Hiſt. 121.
n) Vid. §. 53. Hiſt. 84.
o) Ibid. Hiſtor. 85.
p) Vid. §. 41. Hiſt. 36.
q) Vid. §. 54. n. 1. Hiſtor. 91.

2do ab ALBRECHTO *a*), HIPPOCRATE *b*), WAHRENDORFIO *c*); nyċthemeri ſpatio a BONTIO *d*) in ſignifero; imo horarum aliquot lapſu nonnullos jugulavit.

Hiſtor. 9. Sic apud WHYTT puella tenera, 20. annorum, poſt admiſſum tempore catamėniorum frigus poſtero mane ad horam 4^{tam} ſubito tetano univerſali cum vocis movendorumque artuum difficultate correpta eſt. Facta mox V* Sne veſicans inter ſcapulas poſitum eſt. Hora 8va nec loqui nec deglutire potuit, ſed ſingultiebat pallida frigensque, pulſus tamen ac reſpiratio erat naturalis. Hora $10\frac{1}{2}$ cœpit laborioſe inter ronchos ſpirare, præſertim in exſpirando: idcirco ſignum erat, muſculos rimam glottidis arctantes eſſe ſpaſmo contactos. Inſultus hic ex intervallis tantum affligens per 3. 4. minuta, diutiuſve durabat; intermedio vero tempore, quod paulo diuturnius erat, ægra commode ſpirabat. Oleum ſuccini naribus admotum ſpaſmum rimæ glottidis minuendo ſpirationem emendabat: iterata V. S. infuſumque enema catharticum. Hora 11. anterior colli pars circum laryngem ac ſub ſternomaſtoideis ad inſtar emphy-

a) Ibid. n. 3. Hiſt. 103. *c*) Vid. §. 55. Hiſt. 118.
b) ibid. n. 1. Hiſtor. 87. *d*) Vid. §. 49. Hiſt. 52.

emphyſematis inſigniter intumuit. Cataplaſma e theriaca & camphora tumori admotum vehementiam inſultuum reſpirationis difficilis lenire videbatur. A meridie cum pulſus plenus celerque fieret, & cutis caleret, V. S. tertium facta. Sed his aliisque incaſſum tentatis puella ad horam 10. noctis, 18. poſt horis quam ægrotare cœpit, vivere deſiit *a*). Quin pauciores etiam horæ ad interitum ſuffecere: apud DELACROIX *b*) femina intra 12. horas, vir apud BUREL *c*) intra $10\frac{1}{2}$ h. Germana BAIONI *d*) perinde poſt 10 horas, exſpirarunt: puer vero WEPFERI *e*) opiſthotonicus poſt $\frac{1}{2}$ horam, labentibus viribus, interiit. Neque diuturnus fuit morbus, quem in peripnevmonico STŎRCK *f*) obſervavit.

b.) *Solutus* die 1mo refertur apud BOERHAAVE *g*), EBARTUM *h*), HAENIUM *i*), SCHULZIUM *k*), WINSLOWUM *l*): die 3tio apud BARTHOLINUM

 a)

---

a) Beobacht. über die hypoch. u. hyſter. Zufälle Cap. 6. §. 3. b) p. m. 175.

b) Vide §. 39. Hiſt. 29.

c) Vid. §. 51. Hiſt. 75.

d) Vid. §. 47. Hiſt. 55.

e) Vid. §. 39. Hiſtor. 30.

f) Vid. §. 32. c.) H. 19.

g) Vid. §. 62. Hiſt. 126. 127.

h) Vid. §. 41. Hiſt. 44.

i) Vid. §. 44. Hiſtor. 51.

k Vid. §. 118. Hiſt. 169.

l) Vid. §. 54. n. 3. Hiſtor. 108.

a), HAENIUMque *b*): die 4to apud CORNACEM *c*), FORESTUM *d*), HAENIUM *e*), MORGAGNIUM *f*).

2. *Peracutus*, i. e. 5to 6to 7move die (quod tempus eſt morborum peracutorum) vel in mortem vel ſanitatem deſinens.

a.) *Lethalis* die 5to meminere VALSALVA *g*), die 6to HIPPOCRATES *h*), die 7mo BAION *i*) ac BINNINGER *k*).

b.) *Superatus* die 5to narratur a GUINDANT *l*), die 5to aut 6to a FAKKENBERG *m*), FORESTO *n*), SAUVAGES *o*), die 7mo a ZIEGLERO *p*).

3. *Acutus exacte* i. e. die 8vo aut 14to aut inter hos uno (ut exacte acutis ſolenne eſt) lethalis aut dimittens.

a.) *Necans* die 8vo habetur in COO *q*), & HAENIO *r*), die 9no in BAIONO *s*), HAENIO *t*), WAGNERO *u*), Wrati-

---

a) Vid. §. 38. Hiſt. 25.
b) Vid. §. 59. Hiſt. 120.
c) Vid. §. 44. Hiſtor. 52.
d) Vid. §. 108. Hiſt. 159.
e) Vid. §. 40. Hiſt. 32.
f) Vid. §. 50. Hiſt. 64.
g) Vid. §. 16. Hiſt. 16.
h) Vid. §. 54. n. 3. Hiſtor. 106.
i) Vid. §. 62. Hiſt. 131.
k) Vid. §. 54. n. 3. Hiſtor. 194.
l) Vid. §. 142. Hiſt. 204.
m) Vid. §. 156. Hiſt. 216.
n) Vid. §. 158. Hiſt. 217.
o) Vid. §. 108. Hiſt. 157.
p) Vid. §. 52. Hiſt. 82.
q) Vid. §. 54. n. 2. Hiſtor. 95.
r) Vid. §. 43. Hiſt. 49.
s) Vid. §. 95. Hiſt. 150.
t) Vid. §. 62. Hiſt. 133.
u) Vid. §. 61. Hiſt. 125.

tislavienſiumque Annalibus *a*), die 10mo in HILDANO *b*), LUPINO *c*), PLENCKIO *d*), SAUVAGES *e*).

b.) *Dimittens* porro, die 14to a DELAROCHE *f*), & HOECHSTETTERO *g*) viſus eſt.

4. *Acutus minus exacte*, i. e. die 15to ſqq. & 20mo (uti in minus exacte acutis uſu venit) funeſtus vel ſanatus.

a.) *Funeſtus* die 20ma fuit ab HAENIO *h*) deſcriptus.

b.) *Sanatus* poſt diem 14. ab HAZON *i*), die 16. a BISSET *k*), memoratur.

5. *Acutus ex decidentia*, i. e. die 21mo ſqq. & 40mo (qui ſunt acutorum ex decidentia termini) ſeu occidens ſeu curatus.

a.) *Lethalis* fuit die 26ta in ægro M. de CILANO *l*), poſt 20 diem in ægro MORGAGNII *m*).

b.) *Solutus* vero die circ. 21ma in infante CELLIERI *n*), poſt diem 27.

 CON-

a) Vid. §. 54. n. 1. H. 90.
b) Ibid. n. 3. Hiſt. 101.
c) Vid. §. 52. Hiſt. 83.
d) Vid. §. 54. n. 3. H. 117.
e) Vid. §. 41. Hiſtor. 37.
f) Vid. §. 136. H. 193.
g) Vid. §. 54. n. 3. H. 105.
h) Vid. §. 98. Hiſt. 152.
i) Vid. §. 148. Hiſt. 209.
k) Vid. §. 54. n. 2. H. 99.
l) Ibid. n 1. Hiſt. 89.
m) Ibid. n. 3 Hiſt. 115.
n) Vid. §. 140. Hiſt. 196.

CONNELLII *a*) FARRIIque *b*) in ægris, poſt diem 28 apud STORCH *c*), poſt menſem in ægris HOECHSTETTERI *d*), STÖRCKII *e*), WHITII *f*), die 40mo in ægris BENEDICTI *g*), SALII DIVERSI *h*), SWIETENII *i*).

B. CHRONICUS itaque tetanus omnis ille dicendus eſt, qui ultra 40. dies detinet, ſeu id continenter fiat, ſeu per circuitus. Ad hoc morbi genus pertinet

1. *Triſmus*, quem apud ADOL-
Hiſtor. 10. PHUM *k*) miles 26 annorum e remediis mercurialibus ſiniſtre, ut Cl. Vir opinatur, adhibitis, novem menſibus expertus, poſt omnia fruſtra adhibita, tandem viperinis remediis convaluit. Diuturnior idem
Hiſtor. 11. fuit in femina, cujus PLATERUS *l*) meminit. Hæc arthritide vexata, cum articulorum tumore, difficulter incedens, dum multis incaſſum tentatis ad ſulphureas thermas tandem confugiſſet, in iiſdem tantum contraxit triſmum, ut perexiguo intervallo os aperire valeret. Lapſis inde aliquot annis os omnimode pene, ad mor-

a) Vid. §. 132. c.) H. 185.
b) Vid. §. 124. Hiſt. 173.
c) Vid. §. 46. Hiſt. 54.
d) Vid. §. 112. Hiſt. 160.
e) Vid. §. 149. Hiſt. 211.
f) Vid. §. 164. H. 223.
g) Vid. §. 94. Hiſt. 149.
h) Vid. §. 66. n. 1. H. 139.
i) Vid. §. 50. Hiſt. 69.
k) Act. Phyſ. Med. Nat. Cur. Vol. 2. Obſ. 158.
l) Obſerv. Medic. L. 1. p. m. 132.

mortem uſque manente malo, eſt occluſum.

2. *Opiſthotonos* quoque ſemeſtris in murario ab H. I. COLLIN *a*) eſt obſervatus; licet hoc tetani genus fabricæ corporis humani ſit maxime omnium violentum. Contra ea

3. *Emproſthotonos* ſæpius chronicus eſt viſus, quemadmodum in FORESTI *b*) vetula, & viro ad 40. annos nato apud KERCKRINGIUM *c*), qui ob incurvitatem ſilicernium æmulabatur, creditus a multis vel luxatione, vel mala conformatione laborare: ad quod utrumque vitium emendandum variorum opera fruſtra uſus, tandem a Cl. Auctore intra 6 hebdomadas eſt priſtinæ valetudini redditus. Interea cum in hocce viro, tum vetula illa haud videtur morbus fuiſſe vehemens, cum neutri facultatem ambulandi ademerit. Verum vehementiores quoque emproſthotonos, qui ægrum loco moveri vetant, nihilominus chronicos in inſula Cayenna vidit BAION *d*). Hi poſt determinatum tempus adſcitis crebris convulſionibus omni vel hora vel ½ hora, vel

Hiſtor. 12.

a) Vid. §. 115. Hiſt. 162.

b) Obſ. & curat. Medic. L. 10. Obſ. 113.

c) Spicileg. Anatom. Obſ. 45. p. 101.

d) v. ROUX Journ. de Med. &c. T. 30. p. 506.

vel $\frac{1}{4}$ horæ, vel 2do 3tio minuto repetentibus ſtipati, cum imperfecto triſmo, deglutitione ſat expedita, nonnunquam in 4tum 5tum ve menſem excurrentes plerumque ſuapte natura ope febris cum largis ſudoribus circa finem obortæ curantur: id quod exemplo ab ſe viſo confirmat *a*).

4. *Tetanus univerſalis.* I. I. WEPFERUS *b*) „ puellam 9. annorum. . . . . Hiſtor. 13.
„ tractavit, quæ tetano, ſalvis ſenſibus
„ internis, ultra 9. ſeptimanas rigida in-
„ ſtar ſchidii & jacebat, & e lecto ſub-
„ levata talis permanebat, ut nulla vi
„ vel brachium, vel pes flecti, vel den-
„ tes diduci potuerint. Cibabatur autem
„ per hiatum quemdam a dente in ma-
„ xilla inferiore pridem elapſo pultibus
„ & juſculis carnium commodo ipſi con-
„ ceſſum; qua ratione conſervabatur, &
„ congruis medicamentis integram vale-
„ tudinem recuperavit „. VALLISNERIUS *c*) quoque tetanum in viro Patricio annuum vidit. Sed multo iſto diuturnior fuit, cujus R. LENTILIUS *d*) meminit,
Hiſtor. 14. nimirum „ fuiſſe ruſticum, ... cui præ-
„ ter vocem, in & egeſtionem, vivi ni-
„ hil

a) Vid. §. 50. c.) Hiſt. 66.

b) Obſ. Medic. Pract. de affect. capit. Obſ. 117. p. 537.

c) Vid. §. 125. Hiſt. 175.

d) Eteodr. Med. Pr. An. 1709. Apr. 8. p. 299.

„ hil ſupererat; jacebat enim, idque per „ aliquot jam annos, rigidus, frigidus, „ & inſtar ſtatuæ plane immobilis „.

CAPUT IV.

TETANI SUBITI ET LENTI, PROTOPATHICI ET DEUTEROPATHICI.

§. 6.

Geneſis quoque tetani, cujuſcunque ille ſit generis, binis potiſſimum modis accidit: vel enim celeriter omnem ſuum induit habitum, vel pedetentim. Hinc tetanus eſt

I. LENTUS, qui variis ſymptomatis, paulo poſt dicendis, antequam ſe ſe prorſus effingat, ſibi ipſi aliquamdiu præludit, ac velut per gradus quoſdam vires colligit. Hujusmodi tetanus ab ARETAEO obſervatus fuiſſe haud videtur; apud ipſum *a*) enim morbus „ omnes ſubito atque affatim corripit, labor & intentio tendonum adeſt, & dorſi & muſculorum, „ qui in maxillis & pectore ſunt „. Contra ea tetanum lentum & AURELIANUS

a),

a) l. c.

a), & L. CHALMER *b*) ab ſe obſervatum magna cum induſtria deſcripſere.

2. SUBITUS, qui ſimul ac ſemel formatus omni ſua vi, citra ullam præviam ægritudinem, prehendit; & acutiſſimus plerumque eſt, ſi & univerſalis ſit, & continuus: contra vero, ſi ſingularis. Exemplo tetani ſubiti ſerviet triſmi ſubiti caſus ab HOECHSTETTERO *c*) obſervatus: „ coqua in noſocomio. . . . ſana
Hiſtor. 15.
„ noctu lectum ingreſſa, mane ſurrexit „ occluſo ore a ſpaſmo; adeo enim maxillæ ſuperiori adnexa inferior fuit, „ ut nec a ſpecillo chirurgi deduci potuerit „.

§. 7.

Cauſſa porro non negligendum tetanis diſcrimen, ad quod in eorum curatione ſollicite eſt reſpiciendum, adfert. Hac ſpectata, ut quisque alius morbus, ita tetanus etiam eſt

1. PROTOPATHICUS (*idiopathicus* aliis, aut *eſſentialis* etiam dictus), qui e nullo alio ſeu præſente ſeu prægreſſo morbo, ſed e ſolo ſex rerum non naturalium vitio ortum ducit, ex. gr. quem animi pathema, ingeſta, &c. inducunt.

2. DEU-

a) l. c.
b) l. c.
c) Obſerv. Med. Dec. 5. Caſu 5. p. 591.

2. DEUTEROPATHICUS (aliis *ſympathicus*, aut *ſymptomaticus* dictus), quem alius morbus vel præſens vel prægreſſus conſciſcit, ut vulnus, febris, &c.

LIBER II.

DE TETANI SYMPTOMATIBUS AC DIAGNOSI.

PROLEGOMENA.

QUemadmodum in quibuſvis aliis ſyſtematis nervoſi gravioribus morbis multiplicia juxta ac vehementia ſymptomata propullulant: ita etiam tetanum cum numeroſa tum pernicioſa comitantur. Horum autem ut varietas, ſeries, progreſſus, ac magnitudo rite cognoſcatur, in præſenti operam ſum daturus. Cumque omnis tetanus, ut ſuperius dictum eſt, aut ſubito ſe ſe formet, aut pedetentim ac velut per ſyntheſin: ſatis liquet, *duo* in priore, *tria* in poſteriore *ſtadia* (niſi ad mortem ducat) doctrinæ ordinatioris gratia concipi poſſe; iſtorum primum recte Ἀνάβασις, alterum

Ἀκμή

Ἀκμὴ, poſtremum Παρακμὴ nuncupari poteſt, ita ut *anabaſis* primas morbi ſe ſe clanculum inſinuantis lineas ac rudimenta ſiſtat, queis velut ex inſidiis hominem invadit, noviſque continenter accreſcentibus ſymptomatum ſuppetiis invaleſcit, uſque dum in *acme* plenis viribus totum occupet ægrum, monſtroſumque ſuum habitum palam prodat: quo ex conflictu ſi natura ſuperior diſceſserit, morbo recepui canente *paracme* declinationem ejus ac ſolutionem exhibet. Et quoniam lentum inter ac ſubitum tetanum nihil intereſt, niſi quod iſte ſimul ac ſemel ſe exſerat, dum ille latenter ſubit: notio tetani lenti adæquata notionem perinde ſubiti tetani (ſola nimirum anabaſi rejecta) ſuppeditat. Idcirco tria illa ſtadia nunc ordine aliud ex alio contemplabimur.

CAPUT I.

ANABASEOS SYMPTOMATA.

§. 8.

1. OSCITATIO *crebra*, priuſquam triſmus mandibulam corriperet, in nonnullis telam eſt exorſa: phænomenon! quod neutiquam expeditos habet

ex-

explicatus. Pauci ad hoc ſymptoma adverterunt animum, forte quod, ubi etiam aderat, nihil ad morbum pertinere arbitrabantur. Ex Veteribus nemo unus præter AURELIANUM *a*) illius meminit, neque noſtrorum ullus, præter A. MONROUM *b*) ac HAENIUM *c*).

§. 9.

2. DOLOR pro ratione ſpeciei imminentis tetani, ac forte etiam partis organicæ, cujus in nervis prima morbi ſemina jacta ſunt, jam in hoc, jam illo corporis loco affligens. Solenniores tamen dolores, tetani prænuncii, fuere obſervati ſequentes:

a.) *Cephalalgia.* HIPPOCRATES *d*) „ ex capite dolentes (ait), & catocho „ detenti, ac delirantes, cum alvi inter„ ceptione, & ferociente intuitu flo„ ridi, opiſthotonici fiunt „. Certe in ægris BILFINGERI *e*), HOECHSTETTERI *f*), ac WAHRENDORFFII *g*) cephalalgia morbum anteceſſit.

b.) *Angina* (de ſolo dolore faucium hic ſermo eſt; deglutitio læſa alibi dicetur)

a) l. c.
b) Vid. §. 136. Hiſt. 192.
c) Vid. 98. Hiſt. 152.
d) Prorrhet. L. 1. text. 88.
e) Vid. §. 4. B. Hiſt. 7.
f) Vid. §. 112. Hiſt. 160.
g) Vid. §. 55. Hiſt. 118.

cur) levior, graviorve. Ægræ MACAULEY *a*) tenſio ad radicem linguæ, nautæ FARRII *b*) ſenſus in ore, præſertim ad linguæ radicem, inſolens, ægris vero LUPINI *c*), WHITII *d*), SCHMUCKERI, *e*), TIMÆI, *f*) ZANETTII *g*) faucium dolor manifeſtus querelas extorſit.

c.) *Pleuritis*, non ea quidem inflammatoria, ſi ſanguinem vena eductum ſpectes, ut qui cruſta careat, ſed ſpuria potius, & a ſpaſmis unice oriunda, qualem ſuis in ægris notavere CLEPHANE *h*), KAKKENBERG *i*), ac FARR *k*), quos tuſſis cum dolore vel lateris vel mediaſtini afflixit. Quandoque ſola *tuſſis* moleſtat, ut MACAULEY *l*) virgini, & matronæ SCHMUCKERI *m*) accidit. Mirum autem eſt, FARRII in ægro, poſt dolorem lateris V^næ S^ne ac veſicante ſublatum, ingentem tamen puris vim per ſputa, tuſſi perſtante evocata, toto morbi tempore prodiiſſe.

d.)

a) Vid. §. 124. Hiſt. 171.
b) Ibid. Hiſtor. 173.
c) Vid. §. 52. Hiſt. 83.
d) Vid. §. 164. Hiſt. 223.
e) Vid. §. 50. b) H. 65.
f) Ibid. d) Hiſtor. 68.
g) Vid. §. 117. H. 166.
h) Vid. §. 124. H. 170.
i) Vid. §. 156. Hiſt. 216.
k) Vid. §. 124. Hiſt. 173.
l) Ibid. Hiſtor. 171.
m) Vid. §. 50. b) H. 65.

d.) *Cardialgia.* CHALMER *a*) ſolertiſſimus tetani in Carolina obſervator pathognomicum opiſthotonici ſpaſmi ſuperventuri ſignum eſſe dixit dolorem tenſivum ſub cartilagine enſiformi obortum ac ad ſpinam uſque dorſi excurrentem, quippe quem continuo opiſthotonus conſequi ſoleret. Pathognomicum quidem ſignum dolor ille (niſi in Carolina forſitan) neutiquam haberi poteſt, quem tametſi alii quoque obſervarint, veluti BISSET *b*) ac HUCK *c*) in opiſthotono, MACAULEY *d*) in emproſthotono, SWIETEN *e*) in tetano; tamen alii ne in graviſſimis quidem tetanis curvis illius meminere, quantumvis omnia alia eorundem ſymptomata minutim in medium attulerint. Quin imo cardialgiæ dictæ loco interdum præſto eſt

e.) *Colica.* Sic HAENII *f*) figulus „ frequentiſſime percipiebat primo in in„ fimo ventre, deinde in ventre ſuperio„ re, tandem in dorſo, ceu unico de „ puncto, dolorem oriri, qui actutum „ corporis cum inferiorem tum ſuperio„ rem partem in ligneam duritiem do„ lentiſſimo cum ſubſultu tenderet „. Alias

---

a) l.c.p.77.ſqq.86.ſqq.

b) Vid. §. 131 H. 183.ſq.

c) Vid. §. 124. Hiſt. 172.

d) Ibid. Hiſtor. 171.

e) Vid. §. 50. d) H. 69.

f) Vid. §. 98. Hiſt. 152.

vero doloris loco ſpaſmodicus quidam motus tantummodo percipitur. SWIETENII *a*) virgo mirum in abdomine motum ſe ſentire querebatur, „ qui, dum vel minimum „ loqueretur, ad cardiam aſcendebat „.

f.) *Lumbago.* Hanc varii varie verbis expreſſere. COUS *b*) diſerte ait TELEPHANEM ante opiſthotoni adventum e lumbis doluiſſe. PLENCK *c*) vero ſuo in ægro pridie, quam triſmus advenerit, tenſionem quamdam lumborum præceſſiſſe ſcribit. DE S. H. D'AMBON *d*) mulieri ante opiſthotonum dolor dextrum primo femur invaſit, ex hoc in dorſum, hincque ad lumborum vertebras trajecit. Apud FARR *e*) nauta reverſurum opiſthotoni inſultum ſemper e dolore ab regione iliaca ad collum aſſurgente præſenſit, id quod jam AURELIANUS *f*) inter ſymptomata tetano præludentia adnotavit: queis ab ipſo accenſetur „ punctio interpellans ex „ ſpina usque ad occipitium „. Alii hunc ipſum dolorem jam renum calculo, jam alteri eorum vitio tribuerunt. Sic MACAULEY *g*) refert emproſthotonicam ſuam

a) Vid. §. 50. d) H. 69.
b) Vid. §. 53. Hiſt. 84.
c) Vid. §. 133. n. 3. H 187.
d) Vid. §. 140. Hiſt. 197.
e) Vid. §. 124. Hiſt. 173.
f) l. c.
g) Vid. §. 124. Hiſt. 171.

ſuam virginem ſæpius antea renalis calculi incommoda tuliſſe. DUBOUEIX *a*) quoque adoleſcentem ſuum ante tetanum vehementi interdum renum dolore laboraſſe notavit. Tametſi non inficier, duorum poſtremorum ægrorum dolorem lumbarem aliunde etiam proficiſci potuiſſe, morboque ipſi forte poſtea dediſſe occaſionem.

g.) *Rheumatiſmum* mentitur etiam tetanicus dolor, eumque aut univerſo in corpore, aut una quadam ejus in parte, v. c. in cervice, ſuris, &c. Ita ab AURELIANO *b*) memoratur „ temporum dolor, & magis eo tempore „ creſcens, quo hiſcere atque os aperire „ voluerint patientes „ nec non „ ſurarum atque veſtigiorum dolidus ſenſus „. Vagum ſiniſtri maxillæ articuli dolorem ante triſmi invaſionem æger HAENII *c*) querebatur. RUCKERI *d*) puero pluribus ante annis, quam opiſthotono prehenſus eſt, cervix doluit. Contra vero in FAKKENBERGII *e*), STÖRCKII *f*) ac WEBERI *g*) ægris tetanum univerſi corporis dolor præceſſit.

 §. 10.

a) Vid. §. 136. Hiſt. 194.
b) l. c.
c) Vid. §. 98. Hiſt. 152.
d) Vid. §. 41. Hiſt. 40.
e) Vid. §. 156. Hiſt. 216.
f) Vid. §. 149. H. 211.
g) Vid. §. 99. Hiſt. 158.

§. 10.

3. AUDITUS gravis hocce in ſtadio a ſolo AURELIANO *a*) & WHITE *b*) eſt obſervatus. In poſteriore tamen caſu jam validiſſimus triſmus ſimul aderat, & ſpaſmus opiſthotonicus interdum invadebat.

§. 11.

4. PTYALISMUS quoque ab AURELIANO *c*) ad anabaſin refertur. Sed inferius *d*) videbimus, in acme illum ſæpius, quam in anabaſi, contingere.

§. 12.

5. SYNCOPE. In hanc proclivem eſſe tetanum ARETAEUS *e*) quidem notat; ſed huic illam præire nonnunquam, Veterum nemo admonuit. In periodicis tetanis hyſtericarum, & hypochondriacorum imprimis nonnulli eam imminenti acceſſioni præcurrere viderunt, ut DUFAU *f*) & ECCLES *g*) in virginibus, & BILFINGERI *h*) in ſtudioſo imminentis ſyncopes phænomena eandem minabantur.

§. 13.

a) l. c.
b) Vid. §. 164. Hiſt. 223.
c) l. c.
d) Vid. §. 32. d.)
e) l. c.
f) Vid. §. 41. Hiſtor. 34.
g) Vid. §. 47. Hiſt. 56.
h) Vid. §. 4. B. Hiſt. 7.

§. 13.

6. TREMOR *artuum.* Virgini ECCLESII *a*) tetanus magno ſemper cum tremore recurrebat; quod idem in LOEWII *b*) juvene ſub ſingulas triſmi exacerbationes accidit. MONROI *c*) perinde æger tremorem toto corpore ante opiſthotoni inſultum eſt expertus. Huc & *ſubſultus tendinum* pertinent, quales Wratislavienſium *d*) juvenis toto crure, cujus plantam læſit, perſenſit, qui porro per dorſum ad nucham uſque propagati continuo opiſthotonum accivere. Hos eosdem ZANETTII *e*) piſtor ac virgo *f*) ſuſtinuit. WEISMANNI *g*) ſutori ante ſingulos inſultus tremuere brachia, tendinesque eorum ſubſiliere.

§. 14.

7. RIGOR *tenſivus muſculorum* quorumdam occipiens, cum membri (v. g. maxillæ, colli, dorſi, &c.) ad quod pertinent, motu plus minus impedito. Ideo ab AURELIANO *h*) inter prima occipientis morbi ſymptomata referuntur „ dif-
C 4 „ fici-

a) Vid. §. 47. Hiſt. 56.
b) Vid. §. 4. A. n. 2. H. 6.
c) Vid. §. 136. Hiſt. 192.
d) Vid. §. 54. n. 1. H. 90.
e) Vid. §. 117. Hiſt. 165.
f) Ibid Hiſtor. 166.
g) Vid. §. 4. B. Hiſt. 8.
h) l. c.

„ ficilis cervicis motus, ... atque ner-
„ vorum majorum, quos tenontas appel-
„ lant, levis tentio & durities „. Et mo-
leſtam ante opiſthotonum in poſtica colli parte ac circum ſcapulas ægris adveniſſe rigiditatem cum totius corporis laſſitudine, quod utrumque ſenſim invaleſcebat, obſervavit CHALMER *a*). Virgo SWIETENII *b*) principio „ ſentire cœpit in-
„ ſolitam cervicis rigiditatem, & diffi-
„ culter maxillas ab invicem diducere pot-
„ erat „ ac WEBERI *c*) juvenis interdum tenſionem rigidam in pedum muſculis veſperi ſentiebat, quod cum AURELIANI obſervatione alias *d*) jam allata convenit. Quod ſi hoc vitium linguæ muſculos afficiat, *loquendi facultas* minuitur, ut magnæ navis præfecto apud HIPPOCRATEM *e*) accidit, & AURELIANUS *f*) idem monuit.

§. 15.

8. DISTORSIO *faciei* in *ſpaſmum cynicum* aut *riſum Sardonium*, vel quacunque alia ratione. Ita AURELIANUS *g*) dixit fieri „ ſine ratione veluti riden-
„ tem

a) l. c. p. 85.
b) Vid. §. 50. d) Hiſt. 69.
c) Vid. §. 99. Hiſt. 153.
d) Vid. §. 9. g)
e) Vid. §. 54. n. 3. H. 106.
f) l. c.
g) Ibidem.

„ tem vultum cum quadam mobilitate ſua„ rum partium „. Ægram SWIETENII *a*) cynicus ſpaſmus, BILGUERI *b*) militem faciei diſtorſio fœdavit.

§. 16.

9. TETANUS *particularis*,v.gr.maxillæ (quod frequentiſſimum), vel cervicis, vel alius partis. A triſmo inchoatorum tetanorum univerſalium exempla ſuppeditant HAEN *c*), MONRO *d*), SWIETEN *e*), aliique: in WEBERI *f*) adoleſcente digitorum tetanus univerſalem præceſſit. Brachium VALSALVAE juveni ante tetanum obriguit, quem caſum ita MORGAGNIUS *g*) refert: „ juveni 26. circ. annor. primum *Hiſt.* 16.
„ fauces nonnihil intumuerant, appetitus
„ autem dejectus erat. His poſt aliquot
„ dies acceſſit convulſio brachii ſiniſtri,
„ ut totum immobile eſſet, atque inflexi„ bile, deinde autem univerſo corpori
„ idem accidit repente, quod brachio
„ acciderat, ut nullo modo jam æger
„ poſſet in ullam partem ſe movere,
„ ſed recto, ut jacebat, corpore immo-

 „ bi-

a) Vid. §. 50. A. n. 3. H. 69.
b) Vid. §. 54. n. 3. H. 116.
c) Vid. §. 98. Hiſt. 152.
d) Vid. §. 136. Hiſt. 192.
e) Vid. §. 50. d) Hiſt. 69.
f) Vid. §. 99. Hiſtor. 153.
g) De Sedib. & cauſ. morb. Epiſt. 10. n. 2.

„ bilis, rigidusque perſtaret; niſi quod „ poſtea manus duntaxat & pedes move- „ re non nihil potuit. Illatus . . . in „ . . . noſocomium: ubi & febris & „ convulſio, qua tenebatur, agnita eſt, „ quam videlicet τέτανον appellant Græ- „ ci. A primo, quo hac toto corpore „ prehenſus eſt, die ad mortem uſque „ multum ſudavit. Mors autem die 5to „ ineunte novam contractionem, quæ „ corpus in latus curvavit, ſecuta eſt. In „ cadaveris cute multæ rubræ maculæ; in „ cerebro autem nihil adnotatione dignum „ occurrit, præter perpaucum ſerum, „ idque ſalſum, in ſiniſtro ventriculo. „ Thorace aperto in ſiniſtro ejus cavo „ aquæ unciæ aliquot repertæ ſunt; pulmo „ autem uterque multum rubens, ad dor- „ ſum præſertim; pericardium ſero omni- „ no plenum: ſanguis parum ab natu- „ rali fluore receſſerat „.

§. 17.

IO. DEGLUTITIO *laborioſa* aut *impoſſibilis* prorſus. Laborioſam notarunt MACAULEY *a*), PLENCK *b*), SCHMUCKER *c*) & ZANETTI *d*): arduam primum, tum ex to-

a) Vid. §. 124. Hiſt. 171.
b) Vid. §. 133. n. 3. H. 187.
c) Vid. §. 50. b). Hiſt. 65.
d) Vid. §. 117. H. 165.

toto impoſſibilem BINNINGER *a*) & ECCLES *b*). Ubi plane eſt impoſſibilis, ori ingeſta per nares, ſi triſmus ſimul adeſt, redire ſolent; quod phænomenon, teſte I. G. BRENDEL *c*), in infantibus, qui mala ſua fando indicare nondum queunt, præſentiam triſmi plerumque arguit. Cauſſa porro ſymptomatis hujus videtur eſſe tumor muſculorum deglutitioni ſervientium tetanodes, velut in VALSALVAE *d*) juvene, dolorque eorundem ad conatum deglutiendi excitatus, quem CHALMER *e*) per dorſum ad imos uſque artus propagari obſervavit. Raro tamen ante obortum perfectum tetanum aut univerſalem aut ſolius maxillæ deglutitio ex integro impeditur; ſed plerumque tantum, notante AURELIANO *f*) „ bibendi difficilis transvora„ tio, contemptibilis tamen „ accidit. Atque his fere primus tragici morbi actus abſolvitur. Videndus nunc venit horribilis illius jam plane formati ſtatus.

CA-

a) Vid. §. 54. n. 3. H. 104.
b) Vid. §. 47. Hiſt. 56.
c) Opuſc. mathem. & med. argum. Part. 1. Progr. 32. §. 3. p. 190.
d) Vid. §. 16: Hiſt. 16.
e) l. c. p. 86.
f) l. c.

CAPUT II.

ACMES SYMPTOMATA.

§. 18.

I. FIGURA *corporis* in univerſali tetano primum ſpectanda eſt.

a.) *Tetanus rectus* exhibet corpus ſupinum, porrectum, immobile, cujus ſingula membra in rectum extenſa, paralleli artus imi & ſummi, hique trunco appreſſi *a*). Poſitus hic tanta cum immobilitate rigoreque conjunctus eſt, ut ſi ægrum imis pedibus prehenſum attollere velis, ille ſtatuæ ſolidæ inſtar ſimul ac ſemel totus erigatur. Sin ſolos pedes in altum leves, totum corpus perticæ ferreæ inſtar ſequitur, & ſoli occipiti inſiſtit: ſi vero caput erigas, perinde omnibus reliquis membris ſimul aſſurgentibus corpus in pedes erigitur.

b.) *Opiſthotonus* vero caput cum collo poſtrorſum tractum inter ſcapulas locat, gutture exſtante: pectus abdomenque prominent, ſpina dorſi eſt concava: artus inferiores flexi cum poplitibus vitioſe incurvis, artus autem ſuperiores extenſi, retror-

a) ARET. l. c. & vid, hiſtorias paſſim.

retrorſumque detorti ſunt *a*), digitis in pugnum, intra quem pollex plerumque abditur, contractis *b*). In vehementi malo tanta ſæpe corporis inflexio efficitur, ut æger ſtrato ſuo inſtar celſi arcus occipite ſolo pedumque calcibus inſiſtat, reliquo inter utrumque intervallo relicto vacuo *c*); imo nonnunquam corpus in orbem coit, dum caput poſtrorſum tractum occipite vel oſſi ſacro, ut in BAIONI *d*) femina, vel calcaneis admovetur, ut in TRINCAVELLAE *e*) ac SCHEUCHZERI *f*) infantibus contigit. Effigiem opiſthotoni ab ſe viſi æri inciſam dedit G. C. MATERNI de CILANO *g*).

c.) *Emproſthotonus* denique antrorſum caput, pronumque in pectus trahit, ejus mentum ſterno adfigit: dorſum fit convexum: manus conſertæ hærent: crura extenſa, coxis extrapulſis. Si graviſſimus eſt morbus, non in arcum modo, ſed in orbem corpus antrorſum coit, adeo ut caput genua contingat, horumque articu-

---

a) ARET. l. c.

b) HIPPOCR. de morb. L. 3. AURELIAN. l.c.

c) CHALMER l. c. p. 91.

d) Vid. §. 47. Hiſt. 55.

e) Vid. §. 41. Hiſt. 38.

f) Vid. §. 66. n. 1. H. 140.

g) Nov. Act. Nat. Cur. T. 1. Obſ. 6. vid. §. 54. n. 3. Hiſtor. 89.

culus in poplitem depulſus eſſe videatur. *a*).

§. 19.

2. TRISMUS *tonicus* omnibus his modo dictis tetani figuris individuus eſt comes, quemadmodum univerſæ id toto hoc opere paſſim in medium allatæ omnis ævi hiſtoriæ confirmant. Dubitari quidem poſſet, communiter ne opiſthotonum triſmus, an rarius comitetur; ſiquidem in illo, ut ARETAEUS *b*) aſſerit, „ maxilla inferior plerumque dehiſcit, & „ raro cum ſuperiore committitur „? Verum quid hac ARETAEI ſententia faciendum ſit, ingenue fateor, me poſt diuturnam licet ejusdem meditationem prorſus ignorare; nam neque Veterum quiſquam alius, neque noſtræ ætatis ullus obſervator, quos mihi conſulere licuit, hujus phænomeni meminit: imo multo potius triſmum cum opiſthotono tum COUS *c*), tum ceteri omnes conſtanter *d*) viderunt ſociatum. An forte verba ARETAEI triſmum quidem præſentem, ſed imperfectum innuunt, ita ut in opiſthotono vel ſpa-

a) ARET. l. c.

b) Ibid.

c) ll. cc. vid. etiam §. 53. Hiſtor. 84.

d) FOREST. l. c. Obſ. 116. & Sch. ad Obſ. 112. vid. Hiſt. paſſim allatas.

ſpaſmus ipſe muſculorum maxillæ alibi *a*) dictorum nunquam tantus ſit, qui maxillas ex integro committat, vel ſpaſmus muſculorum caput poſtrorſum trahentium validior exactam earundem conſtrictionem impediat? Ne id quidem; utrumque enim triſmi perfectiſſimi in opiſthotono utcunque vehementi non raro viſi hiſtoriæ repudiant. Tertium quid reſtat etiam, nimirum num non ARETAEUS aut triſmum cum luxatione mandibulæ complicatum, aut muſculorum maxillæ dictorum paralyſin intelligat? Neutrum ſane. Nam cum maxillam *plerumque* dehiſcere dicat, neutrum vero *plerumque* accidat, neque prius neque poſterius locum habere poteſt. Quid quod ne concipi quidem poſſit, qua ratione hic luxatio maxillæ antrorſum ab opiſthotonico ſpaſmo contingere queat? Nam textus HIPPOCRATICI *b*) „ ἐν τοῖσι τετάνοισι καὶ ὀπισθο„ τόνοισι γένυες λυομεναι θανάσιμον „ verſio ab L. DURETO *c*) facta „ *in teta„ no & opiſthotono maxillas luxari „ funeſtum* „ me non moratur, ut quæ tam falſa ſit, quam luxatio impoſſibilis. Adeone iſta impoſſibilis? en ejus exemplum!

---

a) Vid. §. 14.

b) Coac. Prænot. N. 361.

c) l. c.

Hiſt. 17. plum! Juvenis ob luxationem maxillæ, ad quam tetanus cervicis acceſſit, in noſocomium illatus eſt. Malum hoc a punctura nervi in brachio ſub V^{næ} S^{ne} profectum eſt. Tentatis octiduo cunctis conſuetis medendi methodis abſque ſucceſſu, tandem a D. MANGET *a*) frictionibus mercurialibus eſt ſervatus. . . . Verum enimvero niſi malo quodam errore auctoris e calamo *tetani* maxillæ loco *luxatio* ejusdem profluxit, (quod humanum), mirari cum novam luxationis cauſſam, ſc. nervum punctum remota in parte, tum inſolentem mercurii in luxationibus reponendis efficaciam ſatis non valerem; nam de repoſitione luxatæ maxillæ in hiſtoria tota ne verbum, niſi quod conſvetæ medendi methodi fuerint irritæ. Idcirco neque hiſtoria hæc L. DURETI verſioni, neque hæc ARETAEI ſententiæ quidquam lucis adfundit, præſertim cum FOESIANA textus illius HIPPOCRATICI interpretatio potior ſit, nempe: „ in nervorum diſ„ tentionibus, & iis, quæ in poſterio„ rem partem fiunt, diſſolutæ maxillæ „ mortem afferunt „; quippe cui obſervata

ta

a) Medic. Comment. von einer Geſellſch. der Aerzte zu Edinburgh, 1. Th. 3. St. 2. Abſchn. 2. Art. 3. Fall. p. 355.

ta quoque clinica ſuffragentur, ut alibi *a*) videbimus. Sed neque FOESII verſio conjecturæ de muſculorum mandibulæ paralyſi ullatenus favet; cum enim *plerumque* maxillam inferiorem dehiſcere ARETAEUS velit, iſtud cum COI verbis, qui maxillas diſſolvi lethale eſſe, ac proinde imminente primum morte, & in opiſthotonis non *plerisque* ſed funeſtis tantummodo accidere, pronunciavit, haud cohæret; nihil ut dicam, diſſolvi maxillas lethaliter poſſe citra ullam in earum muſculis paralyſin, ut perinde ſuo dicetur loco *b*). Sed miſſis his obſcuris ad clariora nunc. Triſmi, de quo agimus, vehementia eſt varia: aliquando maxillæ tam arcte ad ſe mutuo ſtringuntur, ut ne minimi digiti apex *c*), imo ne acicula quidem *d*) dentibus interſeri queat. Quod ſi poſitis jam vi ſpaſmi in contactu dentibus, muſculi maxillæ nihilominus contrahi pergant, tum vero horrendus *dentium ſtridor* enaſcitur, qualem BONTIUS *e*), ACKERMANN *f*), FORESTUSque *g*) obſervarunt. Interdum etiam accidit, ut ob

a) Vid. §. 86.
b) Ibidem.
c) CHALMER l. c. p. 88.
d) Vid. §. 130. Hiſt. 181.
e) Vid. §. 49. a) Hiſt. 58.
f) Vid. §. 37. Hiſt. 22.
g) Vid. §. 158. Hiſt. 218.

majorem muſculorum dictorum in uno maxillæ latere ſpaſmum, quam in altero, ipſa plus in partem validius convulſam trahatur, ut in HILDANI *a*) puero viſum eſt, id quod nonnullis imponere poteſt, ut luxationem maxillæ adeſſe ſuſpicentur. Porro remittere quoque vehementia triſmi per vices ſubinde ſolet, ut diducendi aliquantisper oris fiat copia, quod in remittente imprimis morbo uſuvenit, ut in ægro FARRII *b*), aut in *continente* etiam, idque vel ſomni tempore, quemadmodum in COLLINI *c*) SWIETENIIque *d*) virginibus, vel ſub convulſionibus clonicis, ut HAEN *e*) animadvertit. Dum autem his in caſibus triſmo remittente os paululum hiat, non rarum eſt, linguam ex ore foras propelli, quæ invaleſcente rurſum triſmo, dum retrahi nequit, dentibus intercepta miſere convulneratur, ut CHALMER *f*) & COLLIN *g*) obſervarunt.

§. 20.

---

a) Vid. §. 54. n. 3. H. 101.
b) Vid. §. 124. H. 173.
c) Vid. §. 115. H. 163.
d) Vid. §. 59. d) H. 69.
e) Vid. §. 43. Hiſt. 49.
f) l. c. p. 92.
g) Vid. §. 115. n. 163.

§. 20.

3. FACIES tetanicorum varia exhibet phænomena. Etenim ejus

a.) *Color* jam *pallidus* jam *ruber* viſitur. Palluit CELLIERI *a*) infanti mortualis ſimilis, WEBERI *b*) juveni, puellæque WHYTTII *c*),& CHALMER *d*) hujusmodi vultum melancholiæ ſigna præſeferre aſſerit. Interea communiter hoc in morbo facies intenſe rubet, ac ſubinde ſimul vehementer dolet, uti poſt COUM *e*), ARETAEUM & AURELIANUM pene omnes alii notarunt.

b.) *Oculi* lacrimoſi, rigidi, contracti, perverſi, aut huc illuc moti, cum contractis palpebris, mæſtum ſæpe ſpectaculum præbent. „ Oculi, inquit HIPPOCRATES *f*), frequenter illacrimantur & contrahuntur „. Alibi *g*): „ oculi illacrimantur ac pervertuntur „. Apud ARETAEUM dicuntur „ oculi ferme rigentes, qui vix circumvolvantur „: alibi *h*) autem „ palpebræ natura verſatiles vix

D 2 „ ocu-

a) Vid. §. 140. Hiſt. 196.
b) Vid §. 99. Hiſt. 153.
c) Vid. §. 5. A. n. 1. H. 9.
d) l. c. p. 88. ſq.
e) De Morbis L. 3.
f) De dieb. judicat. & de intern. affectionib.
g) De Morbis L. 3.
h) De morb. acutor. curat. L. 1. C. 6.

„ oculos connivendo protegunt; oculi in-
„ tenti ſunt, in profundo convoluti „.
Palpebras admodum contractas in ægro WHITII *a*), clauſas vero arctiſſime in puella BOLTENII *b*) & puerpera TAILLIERII *c*), videre erat, convulſos in opiſthotono oculos FORESTUS *d*), & unam ſemper in partem cum AUENBRUGGER *e*) tum VALLERIOLA *f*) obſervarunt: contra ea virgini SWIETENII *g*) „) dormienti .... oculi miro modo circumvolvebantur „. Quemadmodum autem hæc variant, ita ſubinde nulla morbi vis oculos tangit: in ægro STŐRCKII *h*) „ oculi vivi „ & in ægro CORNACIS *i*) „ oculorum .... & palpebrarum perſti-
„ tit motus & mollities naturalis „.

c.) *Muſculi* varie convulſi ipſam diſtrahentes, ut virgini SWIETENII *k*) dormienti accidit, varium ei ſtatum conciliant. Maxime vero ſolennis, etſi haud conſtanti lege, eſt tetano muſculorum gelaſinorum ſpaſmus, iſque vel uno tantum in latere, qui *ſpaſmus cynicus*, vel in utroque, qui *riſus Sardonius* nuncupa-

---

a) Vid. §. 164. H. 223.
b) Vid. §. 42. Hiſt. 46.
c) Vid. §. 127. Hiſt. 177.
d) Vid. §. 130. Hiſt. 181.
e) Vid. §. 128. Hiſt. 178.
f) Vid. §. 51. Hiſt. 71.
g) Vid. §. 50. d) H. 69.
h) Vid. §. 149 Hiſt. 211.
i) Vid. §. 44. Hiſt. 52.
k) Vid. §. 50. d) Hiſt. 69.

patur *a*).Spaſmum cynicum BONTIUS *b*) in ſignifero, ALBRECHT *c*), BOENNECKEN *d*), CLEPHANE *e*), WHITE *f*), riſum Sardonium FORESTUS *g*), HOECHSTETTERUS *h*), WAGNERUSque *i*) conſpexit. AUENBRUGGERI *k*) æger modo ridentis modo orantis ſpeciem exhibuit. Nonnunquam vero tantus eſt horum muſculorum ſpaſmus, ut malis ſurſum retrorſumque tractis omnes dentes miſerando ſpectaculo conſpicui reddantur, teſte tam CHALMERO *l*), quam FARRIO *m*), qui poſterior notavit ſimul opiſthotonici nautæ faciem adeo fuiſſe mutatam, ut qui 26 annos non exceſſit, ſexagenarium ſenem mentiretur; quod ipſum ARETAEUS *n*) de emproſthotonicis affirmat, illos ob inverſionem vel ab amiciſſimis non agnoſci.

a) HAEN Rat. Med. P. 10. C. 4. §. 4.
b) Vid. §. 49. Hiſt. 58.
c) Vid. §. 54. n. 13. Hiſt. 103.
d) Vid. §. 116. H. 164.
e) Vid. §. 124. Hiſt. 170.
f) Vid. §. 164. H. 223.
g) Vid. §. 130. Hiſt. 181.
h) Vid. §. 112. Hiſt. 160.
i) Vid. §. 61. Hiſt. 125.
k) Vid. §. 128. Hiſt. 173.
l) l. c. p. 93.
m) Vid. §. 124. Hiſt. 171.
n) De cauſ. & ſign. acutor. morbor. L. 1. C. 6.

§. 21.

4. „ ABDOMEN, inquit ARETAEUS „ *a*), intentum eſt, & ſi percutias, reſo„ nans „. Quod quidem non in tumorem tympaniticum elevationem ejuſdem, ſed validam muſculorum abdominalium ſpaſmo affectorum tenſionem innuit: etenim abdomen CHALMER *b*) cum in tetano tum opiſthotono univerſim planum durumque reperit, ac interanea illius ſurſum verſus thoracem, capaciorem tum quaſi factum, ad ſenſum compulſa. In opiſthotono præprimis abdomen haud æquabiliter planum, ſed introtractum vidit, muſculoſque adeo contractos ac rigidos, ut neque preſſi cederent, neque ad diaphragmatis ſub inſpirando deſcenſum vel minimum laxari viderentur *c*). Confirmant hæc obſervata in ægris HAENII *d*) ac FARRII *e*) opiſthotonicis, emproſthotonico SCHULZII *f*), tetanicique STÖRCKII *g*), PUJOLI *h*), ac LAZERMII *i*). Nihilominus tamen haud adeo conſtans eſt planities illa aut introtractio abdominis

---

a) Ibidem.
b) l. c. p. 93.
c) Ibid. p. 91.
d) Vid. §. 98. Hiſt. 152.
e) Vid. §. 124. Hiſt. 173.
f) Vid. §. 118. Hiſt. 169.
g) Vid. §. 149. Hiſt. 211.
h) Vid. §. 130. Hiſt. 180.
i) Vid. §. 49. A. b.) Hiſtor. 63.

nis, ut non etiam interdum iſtud in tumorem elevetur: videlicet dum abdominales muſculi convulſionis ſunt expertes, ſimulque occaſionalis morbi cauſſa, primis obſeſſis viis, ibi ſpaſmo inducto fecem flatuſque abdomen attollere valentes coercet, quemadmodum in ægris, quorum DELACROIX *a*), DELIUS *b*), WEPFERUSque *c*) meminere, evenerat.

§. 22.

5. RIGOR *muſculorum* tetano affectorum, tametſi nullo animæ imperio, citra vim externam, ſit ſuperabilis, non eandem tamen ſemper intenſitatem habet, neque eandem motus impotentiam. Enim vero aliquando adhibitæ vi externæ vel partim vel prorſus cedit: contra alias omni vi externa eſt major, adeo ut rumpi frangique pars rigens facilius, quam flecti poſſit. Subinde vero ſuapte ſpaſmi vis per vices a vehementia remittit, dum alias e contrario tam conſtans eſt, ut longo a morte etiam tempore inſuperabilis perſtet. In PICQVEI *d*) puella etſi primum rigor nulla vi eſſet ſuperabilis, tamen poſtea ita remiſit, ut magnæ vi adhi-

a) Vid. §. 39. Hiſt. 29.
b) Vid. §. 41. Hiſt. 42.
c) Vid. §. 39. Hiſt. 30.
d) Vid. §. 140. Hiſt. 199.

hibitæ ceſſerit; attamen ubi vis flectens ablata eſt, ſpaſmus membra pedetentim ad priorem ſitum reduxit. LEHMANNI *a*) hernioſus digitos manus dextræ tetano curvatos adminiculo manus lævæ extendere, brachiumque extenſum flectere potuit; perinde ægri apud DELAROCHE *b*) corpus artusque magno adhibito conatu flexum admiſere, &, quod magis mirum, in BOLTENII *c*) virgine, etſi tantus a paroxyſmo quolibet ſupereſſet artuum & maxillæ tetanus, ut nonniſi ſumma vi adhibita, & non ſine crepitatione, ſuperari potuerit; tamen ut primum membrum vi extenſum erat, omnis illico deſiit rigor. Contra vero DE S. H. D'AMBON *d*), FARR *e*), DUBOUEIX *f*), PUJOL, *g*), CELLIER *h*), &c. ſuis in ægris tantum experti ſunt rigorem, ut citra rupturæ fracturæve periculum artus flecti neutiquam poſſent; quod idem WHITE *i*) in triſmo ab ſe viſo animadvertit; imo dum in puero WEPFERI *k*) apertura oris tentata eſſet violentius, dentes aliquot ſunt effracti. Omnia hæc de inſuperabili muſculorum tum

ma-

a) Vid. §. 3. B. n. 4. H. 5.
b) Vid. §. 136. H. 193.
c) Vid. §. 43. Hiſt. 46.
d) Vid. §. 140. Hiſt. 197.
e) Vid. §. 124. Hiſt. 173.
f) Vid. §. 136. Hiſt. 194.
g) Vid. §. 130. Hiſt. 180.
h) Vid. §. 140. Hiſt. 196.
i) Vid. §. 164. Hiſt. 223.
k) Vid. §. 39. Hiſt. 30.

maxillarium, tum qui ad cetera membra pertinent, rigore jam ARETAEUS prodidit, ac de prioribus „ inferiorem (inquit) maxillam ſuperiori adnectunt „ adeo, ut neque vectibus aut cuneis per „ Jovem facile diduci poſſint „; de reliquis autem in emproſthotono: „ neque „ Medicus præſens atque adſpiciens „ (ait) ad vitam, aut doloris levamen, „ aut ad figuræ emendationem quicque „ opis afferre poteſt, nam ſi membra „ dirigere velit, viventem ſane hominem „ diſtraxerit, diſcerpſeritque „. Atque hunc immanem rigorem diu a morte quoque ſuperſtitem in cadaveribus deprehenderunt HAEN *a*) ac MATERNI de CILANO *b*).

§. 23.

6. CONVULSIONES aliæ multifariæ cum clonicæ, tum tonicæ ſpaſmis tetanicis non raro ſociantur, ut ſunt palpitationes muſculorum, tremores, tendinum ſubſultus, ſingultus, motus convulſivi epilepticorum ſimiles, tumores ſpaſtici, &c. Complura horum ARETAEUS *c*), aliaque jam memorata, recenſet: „ muſculi (in-

 „ quit

a) Vid. §. 43. Hiſt. 49. *b*) Vid. §. 54. n. 1. H. 89. §. 98. Hiſtor. 152. *c*) l. c.

„ quit ille) palpitantes, facies variis „ modis diſtorta, buccæ & labia tremunt, „ maxillæ quatiuntur, dentes ſtrident: „ in alio vero quodam & aures move- „ bantur „.

a.) *Tremor* in rigiditate colli dorſique per intervalla vehementiſſimus totum adoleſcentis corpus concutiens a MORGAGNIO *a*) eſt obſervatus; at in BISSETI *b*) juvene femur vulneratum ſub triſmo amputationem cruris ſecuto perpetuo tremuit: HAENII *c*) vero opiſthotonicus validos toto corpore *ſubſultus tendinum* experiebatur.

b.) *Singultus* porro & WEPFERI *d*) puerum & puellam WHYTTII *e*) miſere afflixit.

c.) *Convulſiones* tamen epilepticarum ſimiles multo frequentius in tetanis obſervantur, velut hiſtoriæ HIPPOCRATIS de SCAMANDRO *f*), ALBRECHTI *g*), BAIONI *h*), BIERLINGII *i*), BILFINGERI *k*), CARTERI *l*), DELAROCHE *m*), HAE-

a) Vid. §. 54. n. 3. H. 115.
b) Ibid. n. 2. Hiſt. 99.
c) Vid. §. 98. Hiſt. 152.
d) Vid. §. 39. Hiſt. 30.
e) Vid. §. 5. A. n. 1. H. 9.
f) Vid. §. 54. n. 2. H. 95.
g) Ibid. n. 3. Hiſt. 103.
h) Vid. §. 50. c.) H. 66.
i) Vid. §. 3. B. n. 2. H. 4.
k) Vid. §. 4. B. Hiſt. 7.
l) Vid. §. 125. Hiſt. 176.
m) Vid. §. 136. Hiſt. 193.

HAENII *a*), M. de CILANO *b*), MONROI *c*), SWIETENII *d*), WATSONIque *e*) evincunt. Sic HEISTERUS *f*) narrat infantem trimulam a ſeſquianno crebris obnoxiam ſpaſmis toto ſubinde corpore obriguiſſe, alias collo ſolum truncoque, ac tum crura decuſſatim convulſionibus fuiſſe agitata, mente interea illæſa, ſine torminibus, ſine vermium indiciis. Ad has vero convulſiones merito referri poſſunt *Hiſt.* 18.

d.) *Spaſmi tetanici exacerbationes*, convulſionem clonicam, dum ingruunt, æmulantes, opiſthotono præſertim (licet & in tetano, emproſthotonoque contingant) ſolennes, quo prehenſus æger, teſte COO *g*), per vices „ vehementer convellitur, ut vix ab illis, „ qui adſunt, contineatur, quin e lecto excidat „. Perinde FORESTUS *h*) „ quibusdam (inquit) & ſuræ implicantur, „ & tam infamibus ſubinde concuſſionibus exagitantur, ut difficulter ab aſſiſtentibus in lectulo contineantur „. Clariſſime hanc rem expreſſit CHALMER *i*), qui

a) Vid. §. 43. Hiſt. 49.
b) Vid. §. 54. n. 1. H. 89.
c) Vid. §. 136. Hiſt. 192.
d) Vid. §. 50. d.) H. 69.
e) Vid. §. 155. Hiſt. 214.
f) Medic. Chir. u. Anat. Wahrnehm. 2. Band. N. 433.
g) De dieb. judicator. & de intern. affectionib.
h) l. c. Schol ad Obſ. 112.
i) l. c. p. 91. ſq.

qui ubi opiſthotoni ſummo in vigore ſuo ſævientis creberrimas exacerbationes fieri, ita ut intra unum minutum quandoque ſæpius accidant, retuliſſet, addit, artus inferiores jam tum perpetuo quidem rigore teneri, nihilo tamen ſecius exacerbationum tempore tam celeri tamque valido ſpaſmo extendi, ut ſi nemo adſiſteret, ægri ferme ex lecto excuterentur: alios vero veluti exſilientes in altum erigi, ſicque capite in omnia obvia obſtacula ſumma vi incurrere, velut MORGENSTERNII *a*) puero accidit; atque iſto in caſu artus inferiores minus, quam ceteras partes, rigere. Ambo hæc in recto quoque tetano ſubinde accidunt. Sic AUENBRUGGERI *b*) ægro „ pedes identidem „ cum tanta violentia in rectum exten„ debantur, ut extremum lectiſtitium at„ tingentes totum lectum fecerint cre„ pitare „. Ægra autem apud DUFAU *c*) aliquoties adeo impetuoſe in lecto exſiliebat, ut niſi retineretur, ſe ſe comminuiſſet. Tanta vero eſt in tetanis remittentibus ad has exacerbationes, vel in intermittentibus ad reverſiones ſpaſmorum horum proclivitas, ut minimos ſæpe corporis

---

a) Vid. §. 117. Hiſt. 167.
b) Vid. §. 128. H. 178.
c) Vid. §. 41. Hiſt. 34.

poris motus actutum conſequantur, id quod hiſtoriis BISSETI *a*), BOENNECKENII *b*), ECCLESII *c*), SAUVAGESII *d*), SILVESTRI *e*), TULPII *f*), WHITII *g*), ac Wratislavienſium Annalium *h*) fit evidens. HILLARY *i*) ſane in infantibus tantam ad has exacerbationes obſervavit proclivitatem, ut minimus membri cujuspiam aut veſtis motus, vel leniſſimus artuum contactus (v. c. pulſus exploratio), imo exilis ſtrepitus, ſpaſmum univerſalem revocarit. Denique

e.) *Tumores colli* ſpaſmodici globis hyſtericis analogi huc referendi ſunt, quos in corporibus hyſtericis & hypochondriacis tetano laborantibus interdum videre eſt, at, quod notatu dignum, non eodem ſemper aut tempore, aut loco. PUIOLI *k*) puellæ tumor dextrum colli latus in vigore morbi inſedit; in HAENII *l*) femina ad cartilaginem ſcutiformem & os hyoidis a morte primo obſervatus fuerat; ECCLESII *m*) virgini retro aures, morbo multum jam provecto, apparuit,

---

a) Vid. §. 131. Hiſt. 183.
b) Vid. §. 116. Hiſt. 164.
c) Vid. §. 47. Hiſt. 56.
d) Vid. §. 62. Hiſt. 129.
e) Vid. §. 164. Hiſt. 222.
f) Ibid. Hiſtor. 134.
g) Ibid. Hiſtor. 223.
h) Vid. §. 54. n. 1. H. 90.
i) l. c. p. 284. ſq.
k) Vid. §. 130. Hiſt. 180.
l) Vid. §. 43. Hiſt. 49.
m) Vid. §. 47. Hiſtor. 56.

ruit, isque durus. Perinde in TIMAEI *a*) matrona triſmum paſſa durus ac renitens circa dextrum maxillæ articulum tumor viſebatur. In puella WHYTII *b*) 7. horis poſt, quam morbus occepit, anterior colli pars circum laryngem ac ſub ſternomaſtoideis inſtar emphyſematis multum intumuit. Subinde id genus tumor brevi ſponte evaneſcit, ut in PUJOLI ægra. Multa de horum tumorum indole, geneſi, &c. inquirenda clinicis ſupereſſe nemo non videt: adeo neglectim hactenus conſiderati ſunt!

§. 24.

7. DOLORES a miſerabili hujus morbi ſtatu, quid mirum, ſi vix unquam abſunt? In tetanis rectis quidem, etſi haud exiguos HILDANUS *c*), HOECHSTETTERUSque *d*) adfuiſſe obſervarunt, non raro ſunt utcunque tolerabiles: at curvis in tetanis ob immanem partium a muſculis contractis diſtractionem dolor eſt longe atrociſſimus, quippe qui emproſthotonicis teſte COO *e*) ſudores exprimit, & ARETAEUS „ dolores (inquit) omnium (emproſ„ tho-

a) Vid. §. 50. Hiſt. 68.
b) Vid. §. 5. A. n. 1. H. 9.
c) Vid. §. 54. n. 3. H. 101.
d) Vid. §. 112. Hiſt. 160.
e) De rat. vict. in morb. acut.

„ thotonicorum) atroces, vox omnium „ flebilis „. Perinde opiſthotonicos præ dolore lamentari vociferarique HIPPOCRATES *a*) meminit, quod ipſum BOENNECKEN *b*) in pleurothotonica obſervavit. Atque hi dolores potiſſimum a majore minoreve ſpaſmi tetanici vehementia ac duratione pendent, ita ut ſi ille continenter eademque affligat magnitudine, dolores quoque nunquam dimittant, velut ægri M. de CILANO *c*) ac RULANDI *d*) ſunt experti: ſin vero morbus eſt aut remittens aut intermittens, dolores quoque intervalla habent, id quod curvis in tetanis eſt perfrequens. Sic HIPPOCRATES *e*): „ cum opiſthotonos detinet, ... (æger) „ in poſteriora convellitur, interdumque „ vociferatur, vehementeſque dolores oc„ cupant: ... ubi vero dolor remiſerit, „ quietem agit „. Et alibi *f*): opiſthotonicus „ præ dolore, quo circa dorſum „ & pectus detinetur, lamentatur. ... „ Hic frequenter quidem in die dolore af„ ficitur, frequenter etiam levius habet „. Experta eſt hæc BOENNECKENII *g*) ægra.

a) De dieb. judic. & de intern. affect. & de morb. L. 3.
b) Vid. §. 116. Hiſt. 164.
c) Vid. §. 54. n. 1. H. 89.
d) Vid. §. 148. H. 207.
e) De Morbis L. 3.
f) De intern. affectionib.
g) Vid. §. 116. Hiſt. 164.

gra. Non ſolum autem circa magnos muſculos ejuſmodi dolores oboriuntur, ſed etiam teneriorum ac ſeorſim decurrentium fibrarum muſcularium, velut ſunt æſophagi, ventriculi, &c. ſpaſmos comitantur. Quandoque in unum aliquem locum v. g. lumbos *a*), inguina *b*), atrocius deſæviunt; alias integrum tractum percurrunt, quemadmodum CLEPHANE *c*) ac SWIETEN *d*) obſervarunt.

§. 25.

8. VIGILIAE ſub enumeratis hactenus cruciatibus non poſſunt non adeſſe, etiam „ ad opiata paſſim rebelles, & ſi „ dormitur, ſomni ſunt pauci, breves, „ terrifici, cum rigidorum tendinum ſub„ ſultu „ *e*), ſicut SILVESTER *f*), PUIOL *g*), aliique notarunt. Mala vero hæc tanto etiam acerbiora ſunt, quod ſub iisdem

§. 26.

a) Vid. §. 9. f.) §. 24.
b) Vid. §§. citt.
c) Vid. §. 124. Hiſt. 170.
d) Vid. §. 50. d.) H. 69.
e) HAEN Rat. Med. P. 10. C. 4. §. 4.
f) Vid. §. 164. Hiſt. 222.
g) Vid. §. 130. Hiſt. 180.

§. 26.

9. MENS, *ſenſuſque* omnes ſibi plerumque conſtent, ut in ægris CLEPHANE *a*), FERNELII *b*), HAENII *c*), HOECHSTETTERI *d*), LUPINI *e*), MACAULEY *f*), MONROI *g*), SCHMUCKERI *h*), STÖRCKII *i*), SWIETENII *k*) WEPFERI *l*), &c. Sunt tamen, queis morbi vis mentem pervertit (qua de re §. ſequenti), ſenſusve aut labefactat ſolum, aut prorſus abolet. SILVESTRI *m*) mulieri memoria, viſus, audituſque minuebatur: CARTERI *n*) ægro ſentiendi vis interdiu integra noctu interdum ſtupore accedente labefactabatur. AUENBRUGGERI *o*) tetanicus acclamatus ac varie laceſſitus perexigua intelligentiæ & ſenſationis ſigna dedit. Perinde BAIONI *p*) æthiops aphonos ad præſentiam ac lamenta cariſſimorum ſibi inſenſibilis eſſe videbatur. WHITII *q*) vero æger de ſolo obtuſo auditu que-

---

a) Vid. §. 124. Hiſt. 170.
b) Vid. §. 2. A. n. 3. H. 1.
c) Vid. §. 43. Hiſt. 49.
d) Vid. §. 112. Hiſt. 160.
e) Vid. §. 52. Hiſt. 83.
f) Vid. §. 124. Hiſt. 171.
g) Vid. §. 136. Hiſt. 192.
h) Vid. §. 49. a.) H. 60.
i) Vid. §. 149. Hiſt. 211.
k) Vid. §. 50. d.) H. 69.
l) Vid. §. 5. B. n. 4. H. 13.
m) Vid. §. 164. Hiſt. 222.
n) Vid. §. 125. Hiſt. 176.
o) Vid. §. 128. Hiſt. 178.
p) Vid. §. 86. Hiſt. 144.
q) Vid. §. 164. Hiſt. 223.

querebatur. Contra vero ſenſus omnes prorſus abolitos obſervarunt BOENNECKEN *a*), BILFINGER *b*), BOLTEN *c*), EBART *d*), ECCLES *e*), RUCKER *f*), STÖRCK *g*), WEBER *h*), aliique *i*). Nonnunquam alterutrum horum ante mortem primum accidit: HAENII *k*) homo 26. horis ante obitum amauroſi eſt correptus.

§. 27.

10. DELIRIUM quod attinet, jam mite eſt, jam ferox, idque vel per initia jam, vel progreſſo morbo. HIPPOCRATES *l*) „ cum (inquit) opiſthotonos detinet, „ .... vociferatur (æger), & quando-„ que delirat „. Alias *m*) quoque opiſthotonicos nugari dicit. CHALMER *n*) plerosque opiſthotonicos in acme delirare vidit. HAENII *o*) opiſthotonicus poſt 15. diem levius ac per vices primum, deinde perpetuo cum furore deliravit. Quamvis autem delirium opiſthotono ſit familiarius, ta-

a) Vid. §. 41. Hiſtor. 35.
b) Vid. §. 4. B. Hiſt. 7.
c) Vid. §. 42. Hiſt. 46.
d) Vid. §. 41. Hiſt. 44.
e) Vid. § 47. Hiſt 56.
f) Vid. §. 41 Hiſtor. 40.
g) Vid. §. 114. n. 2. H. 161.
h) Vid. §. 99. Hiſt. 153.
i) Vid. §. 107. Hiſt. 156.
k) Vid. §. 98. Hiſt. 152.
l) De morbis L. 3.
m) Coac. Prænot. n. 361.
n) l. c. p. 93.
o) Vid. §. 98. Hiſt. 152.

tamen in recto quoque tetano LUPINI *a*) adoleſcens, & in emproſthotono æger KUNDMANNI *b*) mente moti ſunt. Hinc recte AURELIANUS *c*) mentis alienationes inter communia tetanis ſymptomata retulit.

§. 28.

II. VOX, *loquela*que in mediis his tormentis vel integra eſt, vel obſcura, impedita, præcoxve, vel omnino intercepta, prout nimirum partes organicæ ad utriuſque efformationem neceſſariæ vel illæſæ, vel ſpaſmis tetanicis perinde plus minus contactæ ſunt. Quandoque impedimentum eſt in ſolis faciei muſculis convulſis, ut in BOENNECKENII *d*) ægra; alias in linguæ muſculis, velut in MACAULEY *e*) virgine, quæ præcociter & cum dolore loquebatur, ac DUBOUEIXII *f*) adoleſcente, qui haud ſecus, ac magnæ navis præfectus apud COUM *g*), impromte difficulterque loquebatur. Ita AUENBRUGGERI *h*) quoque æger loqui volens indiſtincte balbutiebat. BAIONI *i*)

 vir

a) Vid. §. 52. Hiſt. 83.
b) Vid. §. 54. n. 1. H. 91.
c) l. c.
d) Vid. §. 116. Hiſt. 164.
e) Vid. §. 124. Hiſt. 171.
f) Vid. §. 136. Hiſt. 194.
g) Vid. §. 54. n. 3. H. 106.
h) Vid. §. 128. Hiſt. 178.
i) Vid. §. 50. c.) Hiſt. 66.

vir perinde linguam impeditam ſenſit. Ubi vero maxillas arctiſſimo ſpaſmus contactu jungit, ſimulque & alias partes tenet, tunc ſermo eſt non intelligendus, ſed inconditum potius murmur *a*), aut velut e cella ſubterranea loquentium, ita ut imperitis, teſte BONTIO *b*), ægri vere dæmoniaci videantur. Atque iſthoc forte indicant ARETAEI *c*) verba: „ ſu- „ ſpirant autem muſſantes profundius „. Quod ſi denique organi vocalis pleraque inſtrumenta perfectus ſpaſmus corripuit, *aphonia* adeſt, quam obſervarunt ALBRECHTUS *d*), BAION *e*), HANNEMANNUS *f*), SAL. DIVERSUS *g*), VALLERIOLA *h*), WHYTT *i*), &c. Ex his vero liquet, aphoniam non ſoli opiſthotono, in quo eam tantum COUS *k*) memorat, ſed aliis quoque tetanis eſſe comitem.

§. 29.

---

a) Vid. §. 156. Hiſt. 216.
b) Meth. med. in Indiis orient. C. 2. & Obſ. Select. 1.
c) l. c.
d) Vid. §. 54. n. 3. H. 103.
e) Vid. §. 86. Hiſt. 144.
f) Vid. §. 39. Hiſt. 20.
g) Vid. §. 66. n. 1. H. 139.
h) Vid. §. 51. Hiſt. 71.
i) Vid. §. 5. A. n. 1. H. 9.
k) De morbis L. 3.

§. 29.

12. DEGLUTITIO (ſymptoma morbi unum e præcipuis) in quocunque tetani genere raro unquam illæſa eſt, ſed plus minus laborioſa, pro ratione partium huic functioni dicatarum ſpaſmum tetanicum magis minuſve perpetientium, cujus præſentiam ſæpenumero faucium *a*) ac linguæ *b*) tumor ſatis arguit. Communiter quidem in tetano recto univerſali deglutitio magis expedita eſſe conſuevit, ut fuit in ægris LENTILII *c*), SAL. DIVERSI *d*), ac WEPFERI *e*); verum tamen haud raro eſt perquam difficilis, quod CORMAX *f*), HOECHSTETTER *g*), LUPIN *h*), SWIETEN, *i*), &c. diſerte memorant: PUIOLI *k*) puellæ adeo fuit ardua, ut nonniſi guttatim, nec ſine metu ſuffocationis, fieri potuerit; imo in ſolo ſæpe triſmo idem eſt deglutiendi labor *l*). Difficillima tamen eſt in tetanis curvis, quin ſubinde prorſus impoſſibilis, atque tum, teſte ARETAEO „ ſiquis vi dentes abdu-

 „ cens

a) Vid. §. 16. Hiſt. 16.
b) CHALMER l. c. p. 89. & §. 50. d.) Hiſt. 70.
c) Vid. §. 5. B. n. 4. H. 14.
d) Vid. §. 66. n. 1. H. 139.
e) Vid. §. 5. B. n. 4. H. 13.
f) Vid. §. 44. n. 1. H. 52.
g) Vid. §. 112. Hiſt. 160.
h) Vid. §. 52. Hiſtor. 83.
i) Vid. §. 50. d.) H. 69.
k) Vid. §. 130. Hiſt. 180.
l) Vid. §. 43. Hiſt. 49.

„ cens humorem inſtillaverit, non de-
„ mittunt (ægri), ſed effundunt, aut
„ ore continent, in naresve retrudunt;
„ iſthmus enim ſimul inhæreſcit, ac ton-
„ ſillæ duræ atque intentæ ejus, quod
„ devoratur, impreſſioni non cedunt „;
id quod in muliere HAENII *a*) triſmum paſſa, hyſtericisque ECCLESII *b*) ac WHYTTII *c*) puellis tetano recto affectis, evenit. Bina huc facientia phænomena ſilentio prætetire viſum non eſt, nimirum *crepitum* quemdam pharyngis ſub fluidorum deglutitione in viro tetanico ab AUENBRUGGERO *d*), & poſt aſſumpta ſat magnum aliquot minutorum *ſtertorem* in opiſthotonica puella ab H. I. COLLIN *e*) obſervatum.

§. 30.

13. RESPIRATIO autem vel toto morbi tempore eſt inculpata, vel per initia tantum, ac progreſſo poſtea morbo vitiatur: nonnunquam vero jam inde a morbi principio læditur. Solet etiam quibuſdam in ægris alternis vicibus ac velut per paroxyſmos modo laborare, modo libe-

---

a) Ibidem.
b) Vid. §. 47. Hiſt. 56.
c) Vid. §. 5. A. n. 1. H. 9.
d) Vid. §. 128. Hiſt. 178.
e) Vid. §. 115. Hiſt. 163.

berior evadere. Varietates hæ probe memoria tenendæ ſunt, quod alibi *a*) SAUVAGESII errori expungendo ſint utiles futuræ: in præſenti autem exemplis ſunt confirmandæ. ECCLES *b*) in tetanica ſua virgine reſpirationem toto morbi tempore, quo ei interfuit, liberam facilemque obſervaverat, imo & placide ægra obiit. Perinde in tetanicis STÖRCKII *c*) & PICQUEI *d*) reſpiratio erat ſatis bona, quam eandem habuit PUJOLI *e*) puella eodem morbi genere affecta, niſi quod atroces poſtea crurum dolores eam gemebundam reddiderint. BURELI *f*) tetanico ſpiratio liberrima fuit morbi principio, at media ante mortem hora laborioſa cum ſummis anxietatibus. WHYTTII *g*) vero tetanica paroxyſmos reſpirationis difficilis cum ronchis eſt experta, ita tamen, ut medium inter hos tempus fuerit diuturnius, quo libere ſpirabat, quam ipſorum inſultuum. In ægro HAENII *h*) porro „ reſpiratio non valde mala, poſt 15 diem „ autem admodum anheloſa. . . Sæpius „ etiam contigit, ut in deliramento an-

 „ he-

a) Vid. §. 76.
b) Vid. §. 47. Hiſt. 56.
c) Vid. §. 149. Hiſt. 211.
d) Vid. §. 140. Hiſt. 199.
e) Vid. §. 130. Hiſt. 180.
f) Vid. §. 51. Hiſt. 75.
g) Vid. §. 5. A. n. 1. H. 9.
h) Vid. §. 98. Hiſt. 152.

„ heloſius reſpirans mox blandius reſpi„ raret, ſi ipſi aut loqueremur, aut ali„ quid ingerere tentaremus „ inquit HAEN. Unde vitium reſpirationis, quod cum delirio primum occepit, a terrifica potius mentis idea, quam ſpaſmis partium reſpirationis ortum duxit. Contra vero tetanico CELLIERI *a*) infanti, multisque aliis jam inde ab exordio morbi laborioſiſſima fuit reſpiratio, id quod opisthotono imprimis eſt familiare. Pro varia autem ſpaſmorum pnevmaticum organum afficientium ratione varia quoque alia in laborioſa hac reſpiratione phænomena ſimul præſto ſunt: ſic *ſublimem* eſſe vidit DUBOUEIX *b*), *ronchis* junctam WHYTT *c*), *celerrimam cum gutturis pectorisque ſtridore* AURELIANUS *d*) eſſe dixit, licet *tardam* etiam, fortem, ac ſuſpiriis interdum interceptam AUENBRUGGER *e*) notaverit. ARETAEUS cum ſpirationem in tetanis univerſim vitioſam eſſe pronunciet, tum præſertim in opiſthotono ait eſſe *ſtertoroſam*, qualem etiam in hoc ipſo, ſed ad ingeſta tantum,

a) Vid. §. 140. Hiſt. 196.
b) Vid. §. 136. Hiſt. 194.
c) Vid. §. 5. A. n. 1. H. 9.
d) l. c.
e) Vid. §. 128. H. 178.

tum, vidit COLLIN *a*), in colli dorſique tetano circa mortem MORGAGNI *b*).

§. 31.

14. FEBRIS etiam, ut ut tetanus de febrilium morborum claſſe non ſit, ne quid ad ſummam malorum deſit, ſæpenumero præſto eſt, eaque ſubinde ſumme inflammatoria, qualem HAEN *c*) bis obſervavit. Illa interdum tetanum antecedit, ut in BILGUERI *d*) WINSLOWIque *e*) caſibus; alias cum ipſo tetano ingruente emicat, velut in ægris S. H. D'AMBON *f*), SWIETENII *g*), ZANETTII *h*), ac BINNINGERI *i*); ſæpius vero aliquot poſt diebus primum ſupervenit aut ſymptomatica, aut critica. Die 4to obortam videre WAGNER *k*), FORESTUS *l*), & HAEN *m*): iſte etiam die 7mo finiente *n*). Perinde progeſſo jam morbo WEBERI *o*) ægrum corripuit. Minime tamen illa huc accenſenda eſt, quæ vulne-

a) Vid. §. 115. Hiſt. 163.
b) Vid. §. 54. n. 3. H. 115.
c) Vid. §. 98. Hiſt. 152. §. 62. Hiſt. 133.
d) Vid. §. 54. n. 3. H. 116.
e) Ibidem Hiſt. 108.
f) Vid. §. 140. Hiſt. 197.
g) Vid. §. 50. d.) H. 69.
h) Vid. §. 117. Hiſt. 166.
i) Vid. §. 54. n. 3. H. 104.
k) Vid. §. 61. Hiſt. 125.
l) l. c. Obſ. 112.
m) Vid. §. 43. Hiſt. 49.
n) Vid. §. 98. Hiſt. 152.
o) Vid. §. 99. Hiſtor. 158.

ris eſt ſymptoma. Ceterum febre abſente pulſus tetanicorum eſt plerumque naturali paulo tardior *a*), tametſi in remittente morbo exacerbationis tempore quibusdam ægris acceleretur *b*), quo in ſtatu ſimul parvus, inordinatus, vacillans, duruſque evadit.

§. 32.

15. EXCRETIONES denique cum *ſpontaneæ* tum *arte factæ* ſuperſunt conſiderandæ.

a.) *Sanguis* vena eductus hocce in morbo in binis HAENII *c*) ægris ſumme inflammatus erat, id quod tamen adeo eſt infrequens, ut vix ullo in alio caſu accidiſſe invenias; ſed plerumque ſano, ut cujuſque eſt corpus, quam ſimillimus viſitur, quod in caſibus a CLEPHANE *d*), HAEN *e*), MACAULEY *f*), D. S. H. D'AMBON *g*), COLLIN *h*), &c. adductis liquido patet, niſi quod in VALSAL-

VAE

a) Vid. §. 43. Hiſt. 49. §. 124. Hiſt. 171. §. 125. Hiſt. 176.

b) Vid. §. 124. Hiſt. 173. & CHALMER l. c. p. 89, 92.

c) Vid. §. 98. Hiſt. 152. §. 62. Hiſt. 133.

d) Vid. §. 124. Hiſt. 170.

e) Vid. §. 43. Hiſt. 49.

f) Vid. §. 124. Hiſt. 171.

g) Vid. §. 140. H. 197.

h) Vid. §. 115. H. 163.

VAE *a*) juvene a naturali fluore parum receſſiſſe dicatur.

b.) *Alvus* in acutis tetanis, præſertim curvis, conſtanti lege pertinaciter clauſa eſt adeo, ut ſemper aut cathartico, aut enemate moveri debeat, velut exempla e BILGUER *b*), CLEPHANE *c*), CONNELL *d*), FARR *e*), GOCKELIO *f*), KLAUNIG *g*), MACAULEY *h*), M. de CILANO *i*), WHITE *k*), &c. abunde docent. Id ipſum vero morbum efficit graviorem *l*); quid enim mirum, ſi alvo per biduum, ut in AUENBRUGGERI *m*) ægro, per triduum, ut apud ALBRECHTUM *n*), imo per 10. dies, ut in RHODII *o*) virgine, per menſem, ut in ægra ECCLESII *p*), ſubſiſtente aer e fece extricatus anxietates, dolores, ſpaſmoſque adauget? Cauſſa vero tam contumacis diuturnæque obſtructionis alvinæ non alia eſſe videtur, quam tantus fibrarum muſcularium tubi totius inteſtinalis ſpaſmus tetanodes, ut omnis inde motus periſtalticus ſponta

---

a) Vid. §. 16. Hiſt. 16.
b) Vid. §. 54. n. 3. H. 116.
c) Vid. §. 124. Hiſt. 170.
d) Vid. §. 132. c.) H. 185.
e) Vid. §. 124. H. 173.
f) Vid. §. 54. n. 2. H. 98.
g) Vid. §. 51. Hiſt. 73.
h) Vid. §. 124. Hiſt. 171.
i) Vid. §. 54. n. 1. H. 89.
k) Vid. §. 164. Hiſt. 223.
l) Vid. §. 124. Hiſt. 173.
m) Vid. §. 128. H. 178.
n) Vid. §. 54. n. 3. H. 103.
o) Vid. §. 140. Hiſt. 198.
p) Vid. §. 47. Hiſt. 56.

ſpontaneus ſufflaminetur, ſolis catharticis, enematibusve revocandus; imo vero & hæc ſubinde eidem ſuſcitando ſunt imparia: quippe in BAIONI *a*), DELACROIX *b*), BINNINGERIque *c*) ægris balanus ac enemata non modo nihil ex inteſtinis evocarunt, ſed ne ipſa hæc quidem alvo ſunt reddita. Perinde in IUNCKERI *d*) ſerva catharticorum triplex quotidie doſis alvum non elicuit. Perindeque ruſtico LAZERMII *e*) nullus ſtimulus alvum reſerare potuit. Hanc de cauſſa alvi adſtrictæ conjecturam tria ſunt, quæ confirmant, primum alvi mox, ubi ſpaſmus externorum muſculorum viſibilis inſigniter remiſit, ſpontanea dejectio *f*): alterum omnimoda ipſorum quoque fluidorum deglutiendorum impotentia, quæ non aliunde, quam ab œſophagi muſcularibus fibris ſpaſmo contractis (qui ſimilem in ſtomacho quoque ac inteſtinis præſentem ſatis arguit) magna pro parte eſt repetenda: tertium denique, quod F.C. MEDICUS *g*) in cadaveribus hoc morbo extinctorum inteſtina inſtar exiguorum tubulorum contracta invenerit. Quandoque

excre-

---

a) Vid. §. 86. Hiſt. 144.
b) Vid. §. 39. Hiſt. 29.
c) Vid. §. 54. n. 3 H. 104.
d) Vid. §. 41. Hiſt. 43.
e) Vid. §. 49. A. b.) H. 63.
f) Vid. §. 124. Hiſt. 170.
g) Vid. §. 36.

excretionis alvinæ impotentiam ſummus quoque natium rigor augere poteſt ; etenim in PUIOLI *a*) ægra nates adeo ſibi mutuo fuerant adſtrictæ, ut neque cannulæ clyſteris in anum, neque ex iſto fecibus foras pateret iter. Accidit nihilominus etiam, ut quibuſdam alvus involuntarie fluat, ut ægro WINSLOWI *b*), & moribundis HAENII *c*), HILDANIque *d*). Verum in chronicis quibuſdam tetanis alvus eſt ſecundum naturam, velut in LENTILII *e*) ruſtico fuit, ac binis illis, quorum hiſtorias S. DIVERSUS *f*), & WEPFERUS *g*) dedere, fuiſſe videtur, cum nec obſtructam fuiſſe, nec ulla ad id exhibita remedia meminerint.

c.) *Urina* vero notante HAENIO *h*) „ aliis .. rite fluit, alii ejuſdem aut in„ continentiam patiuntur, aut ſtimulum „ perpetuum, aut ſuppreſſionem „ aut certe difficultatem. Clinici nonnulli horum vitiorum ſingula ſingulis tetani generibus tribuerunt, ita ut incontinentiam ARETAEUS opiſthotono, micturitionem AURELIANUS emproſthotono, velut proprias eſſe

a) Vid. §.130.Hiſt. 180.
b) Vid. 54. n. 3.H. 103.
c) Vid. §. 98. Hiſt. 152.
d) Vid. § 54.n.3.H.101.
e) Vid. §. 5.B.n.4. H.14.
f) Vid. §. 66. n.1.H.139.
g) Vid. §. 5.B.n. 4.H.13.
h) Rat. Med. P. 10. C.4. §. 4.

eſſe vellent. De opiſthotonicis ita ARETAEUS: „ lotium his minus contineri poteſt „ ſiquidem obſervante CHALMERO *a*) vel vi ſpaſmi eliditur, vel in lectum dimittitur, id quod COLLINI *b*) opiſthotonicæ accidit. Verum tamen in opiſthotono dyſuriam WHITE *c*), iſchuriam M. de CILANO *d*), in tetani recti acme lotii inſcio ægro effluxum AUENBRUGGER *e*), ac in ſolutione tetani recti incontinentiam KLAUNIG *f*) obſervarunt, ut adeo nec ſemper nec ſolo in opiſthotono incontinentia urinæ obtineat. Quod ad AURELIANUM dicentem: „ emproſthotonicis „ ... tenduntur ilia & præcordia cum fre- „ quenti delectatione urinæ egerendæ „ attinet, perinde univerſim locum non habet, ac ſi FORESTUS *g*) audiatur, emproſthotonicis mage „ lotium ſupprimitur, aut omnino „ difficulter redditur, idque bullans & aquæ ſimile „. Dyſuriam certe, urinamque paucam multo cum ſedimento in emproſthotono & HAEN *h*) & MACAULEY *i*) deprehenderunt. Subinde vero memorata hujus excretionis vitia in ſolo etiam triſmo

a) l. c. p. 89. 90.
b) Vid. §. 115. Hiſt. 163.
c) Vid. §. 164. Hiſt. 223.
d) Vid. §. 54. n. 1. H. 89.
e) Vid. §. 128. Hiſt. 178.
f) Vid. §. 51. Hiſt. 73.
g) l. c. Schol. ad Obſ. 113.
h) Vid. §. 62. Hiſt. 133.
i) Vid. §. 124. Hiſt. 171.

ſmo videre eſt, cum quo dolorem ac difficultatem mejendi junctam CLEPHANE *a*) vidit. Omnia vero urinæ mittendæ enumerata vitia a ſolo ſpaſmo tetanico modo renes, modo veſicæ vel corpus vel ſphincterem afficiente proficiſci obſervata liquido oſtendunt, vi cujus urinæ partim ſecretio, partim excretio, partim retentio turbari poteſt. Quod ad ſolam impeditam excretionem attinet, de hac ARETAEUS *b*) „ ego ſane vidi (inquit), & miratus „ fui, lotium ſupprimi uſque ad inſi„ gnem mejendi difficultatem, aut ſpon„ te effundi, cum veſica premeretur „. Effundi vero, niſi ſecreta, preſſione haud potuiſſet. Solus itaque ſphincteris ſpaſmus ejus excretionem impedivit, preſſione tamen ſuperandus. Spaſmi vero hujus præſentiam evincit ſequens eximius STÖRCKII *c*) caſus: peripnevmonicus „ æger ad 9. *Hiſt.* 19.
„ uſque diem ſat bene ſe habuit, ſputa „ rite prodierunt, & iiſdem, quoniam „ ſymptomata omnia leviora fuerunt, per„ fecta criſis videbatur futura. Verum 9. „ die præter manifeſtam cauſam tuſſis „ ſicca violentiſſima hunc ægrum inva„ ſit, ſecuta eſt inde larga hæmoptoe, „ dein

a) Ibidem Hiſt. 170.
b) l. c.
c) Ann. Med. 2. Menſ. Decembr. p. 57.

„ dein ſumma virium proſtratio, anxi-
„ um & breve reſpirium, ſopor, tan-
„ dem rigor, tetanus univerſalis, & ſub-
„ ita mors. Aſpera arteria fuit ſangui-
„ ne grumoſo pleniſſima; inter piam
„ matrem & cerebrum in parte dextra
„ capitis ſanguis quoque grumoſus copio-
„ ſiſſimus extravaſatus erat. In facie &
„ in toto corpore omnes muſculi poſt
„ mortem adhuc fuerunt violentiſſime
„ tenſi, rigidiſſimi. Veſica urinaria de-
„ tegebatur urina pleniſſima, neque ulla
„ preſſione potuit evacuari, neque ca-
„ theter in eam intromitti: etenim circa
„ veſicæ collum obſtaculum duriſſimum
„ repertum eſt. Re tamen bene conſi-
„ derata ſolo ſpaſmo collum veſicæ in
„ oſſeam fere duritiem contractum vide-
„ batur. In toto morbi decurſu æger
„ nunquam urinæ mittendæ difficultatem
„ conqueſtus eſt. An circa mortem ſpa-
„ ſmus veſicæ collum occupavit?„ Maxi-
me; modo obſervatio hæc cum illa ARETAEI attente conferatur; niſi quod apud ipſum ſpaſmus preſſione fuerit ſuperandus, hic vero inſuperabilis. Hujuſmodi quoque fuit iſchuria in ægris BILFINGERI *a*) & KLAUNIGII *b*), ut quam ſphincteris ſpaſmo deſi-

a) Vid. §. 4. B. Hiſt. 7. *b*) Vid. §. 51. Hiſtor. 73.

deſinente ocyus urinæ fluxus ſit conſecutus. Ipſam vero ſecretionem urinæ hoc in morbo nonnunquam intercipi, vel inde patet, quod in virgine MACAULEY *a*) urina pauca fluente nulla tamen circa veſicam plenitudinis indicia perciperentur: & in HAENII *b*) ægro, qui noviſſimis quinque diebus non niſi paucas urinæ guttulas reddidit, veſica urinaria a morte fuerit vacua reperta. Iſchuriam hanc ſpuriam diſerte ſatis COUS *c*) in EUTYCHIDE innuit adfuiſſe.

d.) *Saliva* quoque in tetanicis nonnullis cum ob indolem ſuam, tum copiam, qua profluit, conſideratu digna eſt. Copioſam, eamque vel pallidam vel cruentatam in opiſthotoni acme manare vidit CHALMER *d*). Juveni apud DELAROCHE *e*) tetanico perinde ſaliva ſpumoſa continenter ex ore movebatur. ZIEGLER *f*) quoque in triſmo viri ſpumam ex ore pendulam conſpicatus eſt. At in ALBRECHTI *g*) ægro triſmum paſſo ſaliva non larga modo, ſed ſimul remittente pectoris ſpaſmo, qui per vices infeſtabat, ad binum pedum diſtantiam trans clauſos dentes involuntarie &

a) Vid. §. 124. Hiſt. 171.
b) Vid. §. 62. Hiſt. 133.
c) Vid. §. 43. Hiſt. 48.
d) l. c. p. 92.
e) Vid. §. 136. Hiſt. 193.
f) Vid. §. 52. Hiſt. 82.
g) Vid. §. 54. n 3. H. 103.

cum ſibilo explodebatur. In FAKKENBERGII *a*) tetanico cadaveroſi erat fœtoris, & in opiſthotonico WEPFERI *b*) puero a morte ſpuma viridis larga ex ore perpetim manabat, uſque dum tumulo conderetur.

e.) *Sudores* porro vel nulli, vel per vices, vel perpetui, iique aut calidi & aquoſi, aut frigidi & viſcidi, &c. Ubi abſunt, ibi ARETAEO *c*) teſte „ cutis tota ſquallens aſpera„ que corpori obtenta eſt „. Verum in univerſali & acuto tetano raro deſiderantur. Ideo plurimus ſudor ab AURELIANO inter communia morbi ſymptomata numeratur, quem toties in opiſthotonicis CHALMER *d*), & VALSALVA *e*) ſuo in juvene ad mortem uſque vidit plurimum; in ægro HAENII *f*) perpetuus perinde, paucior profuſiorve, ſub mortem viſcidus; qualem BAIONI *g*) quoque opiſthotonica habuit, ſed vicina in morte ſemper frigidiorem. FARRII *h*) nautæ viſcidus primum ac frigidus, dein calens roriduſque, at ſemper largus. Tetanicæ PUIOLI *i*) cutis aſſiduo ſudore roris inſtar cooperiebatur, qui in

---

a) Vid. §. 156. H. 216.

b) Vid. §. 39. Hiſt. 30.

c) De morbor. acutor. curat. L. 1. C. 6.

d) l. c.

e) Vid. §. 16. Hiſt. 16.

f) Vid. §. 98. Hiſt. 152.

g) Vid. §. 47. Hiſt. 55.

h) Vid. §. 124. Hiſt. 173.

i) Vid. §. 130. Hiſt. 180.

in BAIONI *a*) ægro eodem ſpaſmi genere detento viſcidus ſimul fuit: null. n tamen HOECHSTETTERI *b*) tetanica eſt experta. Pariter in emproſthotono ſudorem circa faciem cervicemque præ doloris vehementia colligi HIPPOCRATES *c*) dixit. Cutaneæ huic excretioni viſum eſt continuo ſubjungere

f.) *Exanthemata*, quæ in tetanis interdum ſymptomatica videre eſt. CLEPHANE *d*) cum triſmo *ſcarlatinam*, in emproſthotono *miliaria* MACAULEY *e*), eadem in opiſthotono FARR *f*) ac DELIUS *g*) obſervarunt.

CAPUT III.

PARACMES SYMPTOMATA.

§. 33.

HIs tot tantiſque, ut vidimus minutim hactenus, malis vitam non ſuccumbere, in partem felicitatis eſt accipiendum. Accidit tamen, hodierno præſertim ævo, cui Deus T. O. M. efficaciſſimo-

a) Vid. §. 86. Hiſt. 144.
b) Vid. §. 112. Hiſt. 160.
c) De rat. vict. in morb. acut.
d) Vid. §. 124. Hiſt. 170.
e) Ibidem Hiſt. 171.
f) Ibidem Hiſt. 173.
g) Vid. §. 41. Hiſt. 42.

morum remediorum cognitionem reſervavit: atque ideo in præſenti phænomena, quæ, dum vis vitæ ex morbo diſcedit ſuperior, iſteque declinans ſolvitur, notatu digniora occurrunt, perſequemur; pauca illa quidem, cum animus ſit, boni ordinis ergo, criſes, quæ potiorem ſtadii hujus partem conſtituunt, prognoſeos in locum rejicere. Quæ adeo huc faciunt, ſunt potiſſimum:

§. 34.

I. SENSATIONES variæ, eæque ſingulares non raro, quas ægri percipiunt, quo tempore ſpaſmorum tetanicorum ſolutio occipit. Hujusmodi ſunt

a.) *Pruritus* totius corporis, aut *formicatio* per ſpinam dorſi, indeque in alia loca dimanans: hanc æger WEBERI *a*) & COLLINI *b*), illum SWIETENII *c*) virgo, experiebantur.

b.) *Funiculorum* numeroſorum in dorſo veluti *diſſilientium* perceptio, quam perinde virgo SWIETENII habuit.

c.) *Li-*

---

a) Vid. §. 99. Hiſt. 153. *c*) Vid. §. 50. d.) H. 69.
b) Vid. §. 115. Hiſt. 162.

c.) *Liquidi* magna vi injecti, ac celerrime a colli vertebris per ſpinam dorſi uſque ad os ſacrum *decurrentis* ſenſus, qui ſemel iterumque ac tertio COLLINI *a*) ægrum affecit. Et id genus alia.

§. 35.

2. ORDO *ſpaſmorum* membra ſucceſſive relinquentium varius, ac ſubinde mirabilis. Sic in ægra SILVESTRI *b*) ſpaſmi primum brachiis ac dorſo, tum femoribus deceſſere, at triſmus non niſi multo poſt tempore deſiit. Idem fere in COLLINI *c*) opiſthotonica ordo fuit. Contra vero CARTERI *d*) æger maxillæ primum, tum dorſi, demum crurum uſum recepit: & STÖRCKII *e*) in juvene maxillam initio, deinde brachia, noviſſime pedes ſpaſmus dimiſit. Omnium autem ordinatiſſime in RHODII *f*) monacha res evenit, cujus membra ſingula poſt ſingulas horas ad motum rediere naturalem, ita ut omnium primo ſpaſmus e lævo brachio, dein crure lævo, tum crure de-

a) Vid. §. 115. Hiſt. 162.
b) Vid. §. 164. Hiſt. 222.
c) Vid. §. 115. Hiſt. 163.
d) Vid. §. 125. Hiſt. 176.
e) Vid. §. 149. Hiſt. 211.
f) Vid. §. 140. Hiſt. 198.

dextro, ac denique brachio ejusdem lateris ſe ſubduxerit.

§. 36.

Ad calcem horum trium ſtadiorum haud abs re viſum eſt, quamdam veluti ſummam ac ſynopſin eorundem adornare, ut quæ fuſe in tria capita digeſſi, modo paucis complexus uni lectoris obtutui ſubjicerem. Peropportune autem in mentem venit, huncce laborem jam a F. C. MEDICO eſſe occupatum, ut cui tanta numeroſos tetanos in febrium intermittentium malignarum epidemia ab ſe deſcripta videndi obtigerit occaſio, quanta mortalium nemini. Quapropter graphicam illius deſcriptionem iſthic ad verbum pene dabo, quæ non ſynopſin modo ſymptomatum omnium exhibeat, verum ſingula prius hanc in rem dicta velut totidem novis obſervationibus ſtabiliat. Ubi itaque ille in ſymptomatum febris memoratæ percenſione tandem ad ſpaſmum tetanoden pervenit, tum infit *a*): extremus hic morbi gradus vehementiam mali profecto exæquavit, ejusque acceſſio adeo erat ſtupenda, ut ſæpe mirari ſubiret, qui fieri poſſet

---

a) Sammlung von Beobacht. aus der Arzneywiſſenſch. 1. Band, §. 1. 9.

ſet, ut humanum corpus id genus ſymptomatis tam diu ſuſtinendis ſufficiat. Etenim opinione citius ſpaſmo univerſi corporis ſimul ac ſemel ægri prehendebantur, aphoni, motus omnis, auditus, viſus, viſque ſentiendi expertes, ſupini, oculis utcunque apertis, fixis, quos neque claudere, neque loco movere cuiquam erat integrum. Facies per initia plerumque palluit, mortualis, collapſa; verum aliquot poſt horis ruborem induere cœpit, ægrosque vultuoſos reddidit. Reliqui corporis habitus erat varius. Pleriſque ſpaſmus totum corpus, quibuſdam vero nonniſi quaſdam ejus partes corripuit, omnes tamen tantum experti ſunt triſmum principio, ut nec dentes ab ſe dimoveri, nec trans illos quidquam, præter aliquot fluidi guttas, immitti ori potuerit. Omnes conatus huncce ſpaſmum mitigandi prius, quam ſudor occiperet, fruſtra erant. Nonnullis cervix obriguit immobilis, aliis manſit illæſa, vel per vices tantum modo rigida, modo mobilis. Erant, qui nihil prorſus deglutire poſſent, velut ſi œſophagum arctiſſime contractum haberent, ſiquidem fluidiſſima quæque, ut immiſſa erant, rurſus ex ore refluebant. Aliis quidem deglutitio ſupererat; ſed facile apparebat, eam non

ſecundum naturam fieri, ſed ob paralyſin faucium non impediri. Interdum etiam naturali facultate peragi videbatur, verum tamen ſolis debebatur ſpaſmis, qui fluida appulſa partim per œſophagum, partim verſus os propellebant. Thorax elatus ac verſus collum attractus viſebatur, cujus muſculi duri & convulſi. Reſpiratio potiſſimum lenis erat, ac lenta; ſæpe tamen cita & brevis. Ægri aphoni licet, nonnulli tamen vel ſuſpiria vel alium aliquem ſonum edebant, qui ipſe a convulſionibus laryngis variis proficiſcebatur; pleroſque tamen omnis deficiebat ſonus. Thorax quandoque adeo validos ſucçuſſus experiebatur, ut vehementer aliquot minutis moveretur, poſtea in priſtinum rurſus ſtatum redactus. Elatus ille thoracis ſitus a morte etiam perſtitit. Abdomen planum erat, ac mirabili ratione introtractum: ab oſſe ſterni imiſque coſtarum lateribus præceps quaſi defluebat, ita ut planiſſimum ſuper lumborum vertebris & oſſe ſacro appareret; inferius oſſa pubis adeo prominebant, ut inter hæc & coſtas abdomen foveam referret. Spaſmus hicce adeo fuit diuturnus, nullos ut convulſivos motus iſthic notare daretur. Anus plerumque arcte erat conſtrictus, ut nullum orificium eſſet conſpicuum, neque cannulam clyſteris admit-

mit-

mitteret: ſubinde paralyſi affectus videbatur, enema expedite admiſit, ſed ocyus iterum reddidit, vel tunc etiam, ubi, quo id minus fiat, cannula immiſſa nates arctiſſime ſibi mutuo ab adſtantibus apprimebantur. Atque ex hoc enematum, ut ut acerrimorum, refluxu inefficaci pronum fuit conjicere, inteſtina prorſus eſſe ſpaſmo conſtricta, omnique privata ſenſu; id quod poſtmodo anatome confirmavit, ſub qua inteſtina anguſta inſtar exilium tubulorum ſunt reperta. Quandoque ſpaſmus feces alvinas involuntarias eliſit absque levamine. Penis & ſcrotum communiter erant exigua, introtracta, teſticulique videbantur intra abdomen revulſi: alias penis multas horas erat rigidus. Lotium crebro fluxit, & cum tanto veſicæ ſpaſmo, ut ſaliens arcum formaret: ſæpe vero guttatim tantum reddebatur. Hæc præternaturalis excretio ante ſudorem obortum accidit, ſæpe, omnibuſque, ut ægri frequenter fuerint abſtergendi. Brachia ut plurimum paralytica moveri quaquaverſum poterant; ſæpe tamen etiam adeo obriguere, ut aut nullatenus aut ſummo nonniſi labore moveri quirent: haud raro quoque motibus convulſivis prehenſa repente in altum levabantur, ſed mox iterum relabebantur. Digiti modo

extenti erant, modo firmiter in pugnum contracti pollicem occuluere. Artus inferiores eadem paſſi quidem, ſed creberrime ſimul convellebantur: namque ægri repente incipiebant tanta vi calcitrare, ut culcitras ſtramine farctas pertuderint, immerſiſque pedibus ſtramen earum laceſſiverint, Pulſus horum ſpaſmorum tempore fuit prorſus varius, ſæpe contractus, parvus, inordinatus, celerrimus, interdum durus ac plenus. Cor ipſum tam vehementer pulſabat, ut illud eminus ſpectare licuerit: non raro motu tremulo, ſed arteriis iſochrono, agitabatur. Hoc miſerando rerum ſtatu effectum eſt, ut ſuperior corporis pars plerumque immota perfectum tetanum exhiberet: ægri jacuere ſupini, capite ut plurimum in latus pendulo, etiam tum, dum cervix obriguit, niſi cum illud opiſthotonus aliquot minutorum, ex intervallis infeſtare ſolitus, poſtrorſum rapuit; quo ingruente ſubinde ex improviſo infelices ægri ter quaterve continenter in altum projiciebantur, ut propemodum e lecto exciderint. Porro ſæpenumero univerſum corpus tam intenſe incaluit, ut inflammatio tam cita omnes humores momento denſatura, atque ad ulteriorem circulationem prorſus ineptos redditura videretur. Secta

tum

tum ocyus vena ſanguis ſumme phlogiſticus incredibili cum impetu exſiliit. Poſt id genus V. S. calor continuo minui cœpit, ægri impalluere, mœſto vultu, oculis lacrimoſis: ſin minus, certo erat indicio, mortem brevi eſſe affuturam. Lugubris hic paroxyſmus plerumque unum aut ſeſqui alterum diem duravit, quo tempore cutis ſicca fuit, & aſpera. Inde pleriſque ſymptomatis pedetentim mutatis obortus ſudor alia non minus ominoſa induxit. Etenim ſpaſmis aliquatenus mitigatis cutis immaduit, faciem ſudor ſqualidam ac ſubnigram reddidit, qui præprimis in occipite, quouſque capillatum erat, adeo ubertim prorupit, ut e ſingulis capillorum finibus grandes guttæ penderint: unde ea lecti pars, cui caput innixum fuit, penitus commaduit, ipſumque ejus ſtramen humor pervaſit. Eadem ſudoris vis faciem, per quam utrinque continenter defluebat, collum, dorſumque inundavit: parcior vero jam in pectore fieri cœpit; in abdomine autem, manibus, pedibusque nunquam eum obſervare fuit. Sudor hic erat admodum viſcidus, abſterſione non minuendus, quæ contigit, inficiens, calidus primum, at quo mors propior inſtabat, eo ſemper frigidior viſcidiorque: id quod tamen haud erat conſtans, ut

qui

qui jam recaleſcebat parumper, jam rurſus nonnihil frigeſcebat, quin certa inde prædictio fieri poſſet. Durante ſudore omnes faciei partes erant mobiles; oculi ſemiaperti, profundi, eandemque in partem ſemper intenti: caro omnis faciei abſumta videbatur, ſola oſſa tegente cute: os plerisque ſemipatulum, & labia nigra dentes muco perinde nigro obſitos non protegebant. Inſpecto ore cavum horribile nigreſcens apparuit, in quo lingua procul retracta erat, exigua, ſuperne multas fiſſuras paſſa, ſub accumulatis ſordibus ſicca ac dura. Cumque reliquæ corporis partes ſibi eſſent jam relictæ, ſolus thorax verſus caput ſurſum tractus manſit, abdomenque introvulſum. Tandem, ubi corpus diu quietum jacuiſſet, inopina mors, eaque vel communiter placida, vel poſt vehementiſſimas convulſiones, ægros, toto inſultus tempore ſui inſcios *a*) oppreſſit.

LI-

a) Ibidem §. 10.

LIBER III.

DE CAUSSIS OCCASIONALIBUS TETANI.

CAPUT I.

PATHEMATA ANIMI.

§. 37.

IRa, mæror, terror quemadmodum epilepſiam, catalepſin, paralyſin, aphoniam, &c. ita etiam tetanos produxiſſe viſa ſunt: periodicus in BILFINGERI *a*) ſtudioſo tetanus ab ærumnis animi eſt profectus; GUINDANT *b*) meminit virginis ſpasmum totius corporis e mærore paſſæ: quod ipſum in puerpera obſervavit TAILLIERE *c*). HANNEMANNUS *d*) curavit *Hiſt.* 20. opio & caſtoreo aliisque nervinis datis pediſſequam trismo cum aphonia ex ira ac zelotypia correptam. BIERLINGIUS præter feminam, de qua alibi *e*) dictum, e terrore tetanum cervicis paſſam, militem quoque vidit *f*), qui lata in ſe mortis ſen- *Hiſt.* 21. ten-

a) Vid. §. 4. B. Hiſt. 7.
b) Vid. §. 142. H. 204.
c) Vid. §. 127. H. 177.
d) Miſcell. Nat. Cur. Dec. 2. ann. 3. obſ. 49.
e) Vid. §. 3. B. n. 2. Hiſtor. 4.
f) Theſ. theor. pract. obſ. 56. ſch. §. 2. p. 736.

tentia necem obductis oculis, genibus nixus, a glandibus in ſe explodendis in momenta opperiens, dum facta vitæ gratia a commilitonibus in pedes erigebatur, ſalis ſtatuæ inſtar immobilis eſt repertus. Verum facta V. S. ad ſe rediit. „ Triſmum
Hiſt. 22. „ in puella vidimus, inquit ACKERMANNUS *a*), quæ ex ſubitaneo terrore, a „ cane latrante illi incuſſo, in hunc morbum inciderat. Inſignem ſpaſmorum „ vim obſervavimus cum admodum vehe„ menti dentium ſtridore conjunctam: „ 4to morbi die opiſthotono correpta per„ iit „. Ita & SPRY *b*) virginem e terrore in triſmum prolapſam meminit. Quanto itaque plus tetano producendo pares erunt affectus animi numeroſiores ſi-
Hiſt. 23. mul oborti? DETHARDING *c*) narrat virginem ad 20 annos natam, in convulſiones ſæpe revertentes e mœrore incidiſſe, a queis ptyaliſmo mercuriali ac nervinis cum jam pene vindicata videretur, oblata nova mœroris pudori iræque miſti poſt prævium terrorem materie, vigilias primum egiſſe, tum in convulſiones & crebriores & longiores relapſam, tandem

a) Diſſert. Med. de Triſmo Sect. 1. §. 8. p. 26.

b) Vid. §. 155. Hiſt. 215.

c) Act. Nat. Cur. Vol. 1. Obſ. 198.

dem tetano, opiſthotono, emproſthotonoque varie vexari cœpiſſe, donec mente mota ſub his poſtremis ſpaſmis exſpiraſſet. Felicior iſthac fuit apud M. I. MARX *a*) femina 25. annorum, quæ ad quartum decimum vitæ annum invalida, poſt cœptam tunc, ac ſtatis dein periodis revertentem menſtruationem ſana & euſarca evaſit. Anno ætatis 18vo poſt vehemens animi pathema validis ſpaſmis per circuitus vexari cœpit. Inſultus ab omnium muſculorum tenſionibus occipiebant, tum ægra aphona pedes brachiaque porrexit, demum omnia membra contracta, bihorio immobilia rigebant, capite in latus flexo abdomineque contracto & acute dolente, cujus flatus non elidendi, ſuperiora petentes, tuſſim, dyſpnœam, palpitationem cordis, & ſingultum flendi conatibus ſimilem, ſenſibus internis illæſis, cauſſarunt. Acceſſione finita ægræ debili ac velut dedolatæ aer pedetentim hauriendus ac plene inſpirandus erat, aphonia in bihorium adhuc durante. Malum omni octiduo primum, dein omni 14to die ad quemlibet animi motum, præſertim ſub fluxu catameniorum obortum, revertebatur. Poſtremis vero temporibus tenſio peculiaris ge- *Hiſt.* 24.

nua

a) Beſtätigte Kraefte der Eicheln n. 4. p. 13. ſqq.

nua ſæpe laceſſebat adeo, ut nec paucos greſſus ægrotæ facere fuerit integrum, quin genua (licet ſine dolore) ſuccide-rent, id quod ipſa impedire non valuit; imo ſi quis genua vi continere adniſus eſt, ſenſatio inde in ſpinam dorſi migrans eam ſummo cum dolore curvavit: ubi vero genua rurſus ſibi relicta ſunt, rediit prior tenſio, evanuitque dorſi dolor. Varia hic fruſtra tentata ſunt, eccoprotica & V. S. obfuere etiam; donec poſt complures ita exactos annos tandem decoctum glandium quercus mediocriter toſtarum, ac fl. aurantiorum, uſurpare cœpiſſet eo cum ſucceſſu, ut poſt 6. hebdomadum ejus uſum menſes abſque ullis morboſis ſymptomatis conſvetis redirent, ac finiente menſe 7mo ſpaſmi prorſus ceſſarent, ne tum quidem reverſi, ubi jam remedio dicto uti deſiit. Huc procul dubio referenda erunt fabuloſa illa exempla hominum e mœrore, zelotypia, ac terrore in ſaxa aliave immobilia ac rigida corpora mutatorum, qualia P. OVIDIUS de AGLAURO puella ob zelotypiam *a*), de ANAXARETE *b*) ob horrorem proci exa-

nimis

a) Metamorph. Lib. 2. v. 708. ſqq.

b) Ibidem Lib. 14. v. 698. ſqq.

nimis viſi de NIOBE *a*) ob mœrorem 14 prolium morte amiſſarum, &c. in lapides verſis ad poſteros dedit.

CAPUT II.

INGESTA.

§. 38.

1. ALIMENTA. Mirum hanc in rem caſum narrat BARTHOLINUS *b*): „in publico urbis Hafnienſis diverſorio *Hiſt.* 25. „hoſpitis filia & neptis in cœna cum „aliis convivis anguillas in ferculo pro„poſitas comederant. Finita cœna utra“que miro affectu correpta: ſenſibus „enim interceptis ut ne acus puncturam „ſentirent, rigidæ ſtabant, non nihil „ſubinde in priora curvatis corporibus, „ſicut in emproſthotono evenit. Per„ſtitit hic tetanus tribus diebus, ſed vi„cibus interruptis. . . . Medicus . . . „vomitoriis ſtatim ventriculum exonera„vit, qui eſculenta ſola rejecit; perſe-

a) Ibid. L. 6. v. 148. ſqq. *b*) Hiſt. Anatom. rarior. Cent. 3. Hiſt. 24.

„ verante vero malo ad alexipharmaca „ digreſſus noxium affectum jugulavit „. Nihil vero ex omni alimentorum penu huic morbo producendo adeo eſt idoneum, quam lac ex uberibus lactantium, ira aut terrore commotarum, ab infantibus ſuctum. Bini hujusmodi caſus ab STORCHIO ſunt obſervati. Primus erat
Hiſt. 26. infans 7. dierum, qui, dum mater ob imminens incendium perculſa animo eum paulo poſt uberibus admoviſſet, correptus triſmo intra nycthemerum interiit *a*). Alibi *b*) tamen intra biduum eum obiiſſe re-
Hiſt. 27. fert. Alterius ætatem obſervator *c*) prætericns id unum refert, matrem ira prius percitam illi ubera præbuiſſe; unde tam validus triſmus eſt obortus, ut nihil remediorum admittens infantem peremerit. Nullo itaque pretio ſatis aut æſtimandum aut redimendum erat conſilium WERLHO-
Hiſt. 28. FII *d*) „ ſex hebdomades ſunt (inquien- „ tis), quod femina quædam feliciter „ lactat infantem ſuum, poſtquam meo „ con-

a) V. BÜCHNER. Miſcell. Phyſ. Med. A. 1727. Mart. Cl. 2. Art. 3. p. 156.

b) Fünft. Medic. Iahrgang 1727. Mart. Art. 3. a.) p. 73.

c) V. BÜCHNER. l.c. Maji Cl. 2. §. 3. p. 278.

d) Commerc. Norimb. T. 4. A. 1734. Hebd. 6. §. 3. p. 43.

„ conſilio poſt duas primas a nativitate „ hebdomades alieno lacte enutriverat. „ Tres jam ante ipſa lactare tentarat liberos ea cum infelicitate, ut omnibus 9no die perniicioſa illa convulſio „ (triſmus) evenerit „. Faciliſne in iram vel terrorem mulier, cujus lac inde mutatum infantibus primis vitæ 14. diebus (queis in triſmum ſunt maxime proclives *a*), poſtea vero non perinde) nervos turbavit, deinde non amplius nocuit? An aliunde pernicioſus æque character lacti eſt conciliatus?

§. 39.

2. VENENA ore, ano, inſpirationeve admiſſa. DELACROIX *b*) refert, ſexagenariæ colicam paſſæ injectum fuiſſe enema emolliens a chirurgo cum opii (ut ipſe ajebat) ſolummodo gr. ij. a quo ægra illico fere in caput ſibi quidpiam aſcendere perſenſit, inde ſopore obruta loqui deſiit, ſtertens, non expergefacienda. Injecta bina alia emollientia enemata: neutrum redditum. Accitus Medicus reperit pulſum peramplum, non celerem, re- *Hiſt. 29.*

a) Vid. §. 66. n. 1.

b) V. ROUX Journ. de Med. &c. T. 39. p. 313. ſqq.

reſpirationem laborioſam, ſublimem, cum ſtertore, ſpaſmumque colli ac maxillæ tantum, ut ore non niſi vi aperto ſola liquida cochleatim ingeſta difficulter ægra deglutiret, nec ſine tuſſi, ac bis conſecuto materiæ viridis ad aliquot cochlearia vomitu. Inflabatur demum abdomen, maxime circa umbilicum. Datum clyſma emolliens cum caſtoreo, ac omni h. cochleatim ℞ª Caſtor. cum Aq. fl. Aurantiorum. Malum nihilominus crevit; ſtertor ſummus, pulſus debilis & intermittens, ac circ. poſt 12. horas ab opiato illo clyſmate infuſo vetula obiit. Apud WEPFE-
Hiſt. 30. RUM *a*) puer octennis ab radice cicutæ aquaticæ comeſta vertiginem primum temulentam, poſtea motus convulſivos paſſus, tandem opiſthotono correptus eſt cum tanto triſmo, ut dum cultri manubrio oris apertura tentabatur, dentes aliquot fracti ſint, & deglutitio vel liquidi etiam eſſet impoſſibilis. Aderat ſimul præcordiorum tumor, ingentes diaphragmatis motus, ſingultus ſonorus. Duravit inſultus per $\frac{1}{2}$ h. abſque induciis, donec puer collapſis viribus vivere deſiit. A morte abdomen totumque corpus adeo intumuit, ut veſtibus exui nequiret. Spuma larga, viridis ex

a) Cicutæ aquaticæ hiſtor. p. 7. 8.

ex ore perpetim manabat, uſque dum terræ mandaretur. Circa oculos livor aderat. Perinde a ſtramonio comeſto triſmum tonicum A. KAAU BOERHAAVE *a*) obſervavit. A vitriolo albo lethalem 30 horar. convulſionem tonicam H. ab HEER *b*) memorat; & a veneni chymica arte parati vaporibus hauſtis emproſthotonum vidit ALBERTINUS *c*).

Hiſt. 31. O

Hiſt. 32. O

CAPUT III.

COLLUVIES.

§. 40.

Humorum quoque pravorum primas vias obſidentium colluvies viſa eſt induxiſſe tetanos. Nolim ego quidem cum CHALMER *d*) ac WHYTT *e*) tueri, tetanos recens natorum, in fervidis præſertim orbis plagis, ab reſtitante in iis meconio proficiſci potiſſimum; tametſi in-

a) Vid. I. F. GMELINI Abhandl. von den giftig. Gewächſ. welche in Teutſchl. und vorneml. in Schwaben wild wachſen. p. 103. ſqq.

b) Obſerv. Med. 26.

c) Vid. §. 141. Hiſt. 202.

d) l. c. p. 103.

e) l. c. C. I. §. 11. i.) p. m. 18.

interdum & iſthæc cauſſa locum habere queat: ſiquidem manifeſtiores aliæ hujus rei cauſſæ ſuppetant. At a corrupta bile, aliiſve tubum inteſtinalem laceſſentibus pravis humoribus hunc morbum generatum fuiſſe, indubiis conſtat obſervatis. Sic a bile vitiata acri febres intermittentes malignas, quarum ſoboles peſſima erat tetanus, obſervavit F. C. MEDICUS *a*), & ejuſdem indolis ſaburram pro cauſſa habuit viſus ab HAENIO *b*) tetanus, nimi-
Hiſt. 33. rum: „ faber lignarius 22. annorum pro-
„ cerus admodum juvenis menſe Decemb.
„ 1741. me (inquit ille) vocabat, te-
„ tano corporis univerſali afflictus. Nar-
„ rabat, febre 3na pertinaciore laboran-
„ tem Cortice Peruv. ſe ab ea elapſis pau-
„ cis abinde ſeptimanis liberatum eſſe.
„ Continua febre ſe nunc, validaque
„ diarrhæa, & univerſo torqueri tetano.
„ Epidemica diarrhæa illo tempore cum
„ febre graſſabatur, quæ poſtulabat eme-
„ ticum: fruſtra id ipſi dedi. Diarrhæ-
„ am nec involventia, nec opiata,
„ nec adſtringentia compeſcuere. Teta-
„ nus quoque univerſalis neque balneis
„ aquæ calidæ, ejusdemque fomentis,
„ neque

---

a) l. c.

b) Rat. Med. P. 10. C. 4. §. 7. n. 1.

„ neque emollientiſſimis unguentis & ca-
„ taplaſmatibus ullatenus ceſſit. Febris
„ autem indies augebatur. Cum nihil
„ juvaret, ob ſummam primarum viarum
„ putrilaginem præſcripſi ipſi hanc mi-
„ ſturam:

„ Rob. Ribeſior. ℥ij.
♁ △ per camp. gtt. xv.
Aq. Cort. Citri ℥ vj.
L.L. SYDENH. gtt. xx. „

„ Laudanum addebam, ne acida auge-
„ rent diarrhæam: quovis bihorio quar-
„ tam miſturæ partem abſumſit; evacua-
„ ta illa renovabatur. Altero die melius
„ habuit, & unicam tantummodo alvum
„ putridam depoſuit: die 3tia levamen
„ majus: die 4ta tetanus ita emendatus,
„ ut lecto movere, ex eodem ſurgere,
„ cum difficultate incedere, imo in pro-
„ xime inferiorem contignationem labo-
„ rioſe deſcendere poſſet. Putrida alvo
„ utcunque pergente miſturam continua-
„ vi, quotidie minuendo, uſque ad 10.
„ uſus illius diem. Sanus abinde vixit
„ uſque in Junium menſem 1742: inci-
„ dit tunc eandem in febrem, diarrhæ-
„ am, tetanum, ignorans a qua cauſſa,
„ ajebat, vivebat intemperanter. Prio-
„ rum memor dedi illico eandem miſtu-
„ ram: die altero omnia ſymptomata

„ ceſſabant. Sub ejusdem anni finem tertio rediit idem, ſed levior, morbus, „ unica miſtura ceſſans „. A colluvie pravorum humorum perinde ortum duxit cervicis tetanus cum univerſali torpore in voraci juvene, cujus in Annalibus Wratisl. *a*) fit mentio, ut qui purgantis ope ſubducta ſaburra deſierit.

CAPUT IV.

VERMES.

§. 41.

Vermes primarum viarum quibuſque nervorum morbis producendis pares eſſe, in vulgus notum eſt: quid mirum, ſi tetanos quoque, eoſque horrendos, excludant?
Hiſt. 34. DUFAU *b*) refert caſum puellæ novennis, quæ media in ſanitate medio vere incidit in lipothymiam cum ſtridore dentium, reſpiratione laborioſa ac interrupta, pandiculationibus, ac variis motibus crudeliſſimæ anxietatis prænunciis. Variis fruſtra tentatis poſt ½ demum horam ſe collegit.
Hæc

a) Vid. §. 107. H. 156.

b) v. ROUX l. c. T. 29. p. 121. ſqq.

Hæc eadem ſymptomata biduo vel triduo continenter eadem ſerie ac vehementia rediere. Die 5to his iiſdem quietis loco nova ſucceſſere formidabiliora, ſc. motus convulſivi, contorſiones, ac rigores omnia ſucceſſive membra adeo pervadentes, ut frangi mage quam flecti eadem ſinerent. Ægra in lectulo ſubinde impetuoſe exſiliebat, qua in re niſi ab adſtantibus retenta fuiſſet, millies ſeſe erat confractura. Porro ſæpius accidit, ut modo ſe gaudio ac riſui dederet, mox in lacrimas cum ſuſpiriis ac ſingultu abiret. Inſultus hi poſteà quotidie ſine typo ullo conſtante, ſeu ratione temporis invaſionis, ſeu numeri acceſſionum, bis terve ſpatio nycthemeri repetebant. Lipothymiæ tempore ſenſibus conſtabat, non aphona, queſta unice dolorem ac ineffabilem crurum debilitatem, ita ut, efficaciſſime licet volens, ne paſſum quidem progredi valeret. Porro ſentiebat velut globum abdomen omne pervagantem, ac tandem guttur petentem, tuncque illico inter horrores ac ſuffocantes anxietates aphona convulſionum prius dictárum vario genere prehendebatur. A pharynge vero globus vix in ſtomachum rediit, cum lipothymiæ priſtinæ in locum convulſionum ſucceſſere. Hæ vices alter-

næ nunquam horam exceſſere. Duravit malum per quinquemeſtre: tum induciæ in binos menſes datæ, queïs finitis rediit gravior morbus, donec finiente 9no menſe a recidiva datis emeticis, catharticis, anthelminticis, ac nervinis, excreta ano catoque incredibili vi lumbricorum & aſcaridum, ægra poſtmodo prorſus convaluit. BOENNE-
Hiſt. 35. CKEN *a*) perinde meminit mulieris tetano recto univerſali cum ſenſuum abolitione, pulſu tardo, pleno, & duro, oculiſque ſurſum converſis, prehenſæ ac perpetim *dæmon*! ingeminantis, collum globo hyſtericarum ſimili inflante. Intruſis vi in œſophagum tribus pilulis ex aſa fœtida, ſingulis piſum æquantibus, oborto paulo poſt vomitu vermis ½ ulnæ vivus, digitum craſſus, piloſus, erucam per omnia referens, excuſſus eſt, quo facto ægra ocyus convaluit. Hiſce infelicior erat
Hiſt. 36. HEISTERI *b*) ancilla 33. annorum, quæ menſe Decemb. ſubito, abſque manifeſta cauſſa, atroci cardialgia & colica cum tantis artuum convulſionibus, ac ventris præſertim, ut hunc ſingulari tumultu ac fragore concuterent, prehenſa concidit apho-

a) Fränk. Samml. 4. B. 19. St. 10. Art. 1. Bemerk. p. 62.

b) Med. und Chir. Wahrnehm. 1. Band. n. 372.

aphona, ſenſibus tamen integris. Se-
ctam a chirurgo venam tetanus rectus eſt
ſecutus, qui cum ceteris perſtantibus ma-
lis ægram poſt fruſtra exhibita nervina
antihyſterica 3^tio^ die e medio ſuſtulit. In
cadaveris duodeno ac ventriculi cardia in-
gens vis lumbricorum, quorum multi 15.
16. pollices longi, reperta eſt, ventri-
culuſque circum cardiam cruentatus ac
velut arroſus a vermibus apparebat. Ea-
dem ratione adoleſcens Indus apud SAU- *Hiſt.* 37.
VAGES *a*) per intervalla motibus con-
vulſivis & colicæ obnoxius, demum in
tetanum convulſionibus interpolatum inci-
dens, die 10ma obiit. In cadavere nil,
niſi glomeres lumbricorum, quorum non-
nulli factum in Colo foramen obturabant,
reperire erat. TRINCAVELLA *b*) „ vidit *Hiſt.* 38.
„ pueros, qui a vermibus adeo male affe-
„ cti ſunt, ut opiſthotono . . . correpti
„ retrorſum adeo convellerentur, ut pe-
„ ne calcaneis caput contingerent „.
Quod ipſum in aurificis puero, qui binis *Hiſt.* 39.
dein vermibus alvo redditis convaluit,
obſervavit ZACUTUS *c*). Apud RUCKE-
RUM

a) Noſol. Meth. T. 2. P. 2. Cl. 4. Ord. 2. n. 8.

b) De rat. cur. part. C. H. affect. L. 9. C. 11.

c) Prax. Med. admir. L. 2. Obſ. 34.

Hiſt. 40. RUM *a*) puer 14. annos natus, a pluribus jam annis dolorem quemdam cervicis expertus, tormina tandem dierum aliquot queſtus, ſublato ex improviſo clamore concidit, capite in dorſum, manibus vero ac pedibus ad ventrem tractis, quo poſitu rigidus, aphonus, ſenſibus orbatus, fere dimidia hora jacuit, neque pauciores quam 5. id genus inſultus quotidie ſuſtinuit. Poſt varia irrita dato demum cathartico mercuriali expulſis multis vermibus con-
Hiſt. 41. valuit. Alius ſeſquiennis puſio, narrante COHAUSEN *b*), ſolo hactenus lacte nutritus, ob alvum aliquot diebus adſtrictam injecto ex oleo & decocto fl. chamæmeli enemate in horrendum incidit modo opisthotonum modo emproſthotonum cum crebro vomitu, quo ipſum etiam enema rejecit, languore, calore, ac ſomnolentia. Exhibitis variis poſtero die lumbricum vomuit, & alvum reddidit: datiſque poſtea anthelminticis prorſus convaluit. Ana-
Hiſt. 42. logum caſum DELIUS *c*) deſcripſit: puer decennis in cardialgiam & colicam cum febre oculorumque livore incidit. Data

MRa

a) Commerc. Norimb. T. 1. Specim. 49. §. 3. p. 385. ſq.

b) Ibid. T. 15. A. 1745. Hebd. 16. §. 2. p. 124.

c) Amœnit. Medic. Dec. 5. Caſ. 2. Obſ. 4. p. 347.

MRª ex Aq. Ceraſ. Acac. Rub. id. c. C.C. pp. ⦶ & ♀ ⊖ diarrhæam induxit, compluresque lumbricos expulit; nauſeato autem remedio ſubſtitutæ guttulæ e Liq. 🜄 fol. ♀. Eſs. Sem. Santon. Clyſs. ♁ ſulphurat. Queis puer convaluiſſe viſus paucis tamen poſt diebus recidivam paſſus eſt, ſimulque opiſthotonum, capite adeo retrorſum tracto, ut nonnulli ruptas colli vertebras crederent. Datis antepilepticis, deſinente poſt horas aliquot opiſthotono caput antrorſum retrorſumque agitari cœpit: poſtero die ſpaſmus inferiores artus corripiens genua ori prope admovit, muſculis colli modo rigidis factis, modo flaccidis, abdomen intumuit; æger quatriduo præter ejulatus nullam vocem edidit. Exhibita idcirco MRª ex Aq. Fumar. Cinnam ſ. v. aa ℥ij, ⊖ ♂ gr. iij. Syr. Roſ. ℥ij. Abdomini admotum empl. de Cruſt. pan. ungv. de Arthan. fell. taur. Ol. Tanac. quod puer impatiens mox avulſit, potionem ſumſit. Poſt 5. dies, præſente interdum rigore, loqui cœpit; at purpura toto corpore efflomit, recuſatis remediis naturæ relicta. Demum uſu Sem. Santon. cum melle, excreta ſenſim per alvum materia fœtente, cereviſiæ fecibus ſimili, priſtinam brevi recuperavit ſanitatem. Haud multum ab iſthoc diverſum

ca-

Hiſt. 43. caſum refert I. IUNCKER *a*) : ſerva 20. annorum multum primis annis a vermibus paſſa, poſtea ob inordinata catamenia varie afflicta, derepente cardialgia, vomitu, ſingultu, convulſionibus, ſpaſmiſque vexari cœpit eo ordine, ut primo menſe tetanus, emproſthotonus, opiſthotonus ac ſingultus adeo ſonorus, ut ad 40 paſſus exaudiretur, alternas tenerent vices, cum ſiti vix exſtinguenda. Altero menſe horum in locum ſucceſſit inſultus velut febrilis inſtar phrenitidis, ſub quo ægra delirans vaticinabatur: finito illo vomitus 12. lumbricorum craſſorum, nigris capitibus caudiſque præditorum ſecutus eſt; alvo autem eorumdem aliquot centeni cum innumeris aſcaridibus ſunt redditi. Menſe 3^tio^ mala primi menſis rediere, ſed mitiora: invaſio ſemiconvulſiva tantum erat, & ſubinde lipothymica cum intercurrente nonnunquam ſingultu. At alvus adeo erat pertinaciter clauſa, ut catharticorum fortiorum triplex doſis quotidie ſucceſſive ſumta alvum ſolvere nequierit. Menſis 4^tus^ & primi & ſecundi menſis ſymptomata attulit: in febre pars altera

a) Diſſert. inaug. Med. exhib. ſpecim. patholog. therap. in caſu quod. terrificis motib. complicato. 4to Halæ 1740.

tera corporis frigus, altera calorem paſſa eſt; ſpaſmi vero ſubinde in alia etiam ſymptomata, ſc. cephalalgiam, odontalgiam, vomituritiones, hæmoptyſin, fluxum hæmorrhoidum cum o&tidui alvo pertinaciter clauſa, anorexia, & ſomno turbulento ſubſequentibus, excurrebant. Quintus menſis omnibus finem impoſuit per vomitus & alvi fluxum: vomitu quotidie ad ℔. xij. humoris aquei cum 3. 4.ve lumbricis ægra reddidit, intercurrentibus quandoque 4ti menſis ſymptomatis; alvo fluxa autem aliquot centeni lumbrici cum nidis ſuis, & humore jam aqueo, jam cruento, jam purulento, excernebantur. Remedia vero, queis morbus profligatus eſt, fuere anthelmintica, antiſpaſmodica, & quæ inordinatus menſium fluxus popoſcit. Denique trimulum puerum *Hiſt.* 44.
vidit EBART *a*) horrendis epilepticis inſultibus vexari cum tanto triſmo, ut nihil prorſus in os ingeri potuerit. Ceſſante poſt 10. horas inſultu æger nihilominus adhuc 6 horis mentis impos fuit, vermibus interea catervatim ex ore prorepentibus. Deinde ſibi redditus quidem, ſed aphonos erat, donec exhibito ☿ dulc.

Reſ.

a) v. BÜCHNER. l. c. Mart. Cl. 2. Art. 2. §. 5. p. 161.

Reſ. Jalapp. & muſc. Corallin. incredibilis vermium copia fuiſſet expulſa.

CAPUT V.

CONVULSIONES CLONICAE.

§. 42.

Tetanorum e convulſionibus clonicis prægreſſis oriundorum exempla paſſim hactenus vidimus, nimirum in caſibus FERNELII *a*), HAENII *b*), & quos paulo ante de vermibus, & alias *c*) de pathematis animi retulimus, quoſque poſtea e STÖRCKIO *d*) RHODIO *e*) aliiſque adducendi erit occaſio. His paucos iſthic, at memorabiles, adjiciemus, inter
Hiſt. 45. quos primus eſto GESNERI *f*): puella pauper, ſæpe primis vitæ annis convulſiones & epilepſiam paſſa, poſtea ſenſim eatenus ab iis immunis evaſit, ut nonniſi vertente anno eaſdem ſemper experiretur. Idcirco reliquo anni tempore laboribus idonea, æſtate dominis, hyeme parentibus ſer-

a) Vid. §. 2. A. n. 3. H. 1.
b) Ibid. Hiſtor. 2.
c) Vid. §. 37.
d) Vid. §. 114. n. 2. H. 161.
e) Vid. §. 140. Hiſt. 198.
f) Annal. Wratiſl. Tent. 36. A. 1726. April. Cl. 4. Art. 15. p. 493.

ſerviebat. Adventante inſultu facies rubebat inflata, ægraque collapſa, oculis clauſis, citra ullas viſibiles convulſiones, humi quieta jacuit, donec acceſſio ſolvebatur: quæ quidem non erat diuturna, at aliquoties diei ſpatio repetebat, idque per 8. vel etiam 14. dies. Anno 13^{tio} ætatis matronæ e ſuppreſſis catameniis laboranti ſerviens petulce doſin remedii emmenagogi (forte juſto etiam majorem), quo matrona utebatur, ſumſit, a quo paucis poſt horis vehemens hæmorrhagia uteri ſecuta eſt, ſanguine ad ℔ viij. amiſſo: hanc neſcio quod remedium compeſcuit; ſed abhinc nulli etiam menſes apparuere, & acceſſio morbi, adveniente ſolito tempore hyberno, fuit vehementior, ac ob numeroſiores inſultus diuturnior. His ſævientibus, inter ceteros ipſam inviſentes, mulier quoque nota acceſſit, pomumque muneri dedit quod illa avidiſſime comedit: inde aliquot poſt diebus inſultus fuere graviores, & ægra mirabili modo in lectulo gyrabatur. Non multo poſt bulimo correpta eſt tanto, ut quod edulii 4. adultos ſatiaſſet, ipſa ſola abſumeret, idque iterato. Sub hoc bulimo inſultus epileptici increvere numero, ac nycthemeri ſpatio 7. 8. 9. & plures adfuere; acceſſit illis melancholia: credebat ægra, nigrum ſibi ſtellio-

nem ex ore prodiiſſe, qui denuo in os reverti volet. Idcirco ex hoc tempore quovis in paroxyſmo utraque manu os protegebat. Tandem omnibus hiſce ſe opisthotonus junxit, nempe paroxyſmi conſveti initio facies ac muſculi colli inflabantur, palpebræ coibant, manus utraque os tuebatur, & ægra pavores præſeferebat. Tum caput pedeſque retroflectebantur, & in hoc ſitu puella. 6. 7. vicibus in gyrum celeriter agebatur: poſtea ſibi reddita ob triſmum adhuc durantem aphona manſit, donec collo maxilliſque ℣ perfrictis & iſte ceſſit, ſed ob linguam in fauces retractam, inſultumque brevi revertentem aphonia non ſolvebatur. Data deinde antiſpaſmodica, ac pediluvia uſurpata epilepticos inſultus profligarunt, ſed melancholia perſtitit: ægra robore virium ſingulari pollens, homicidia & autochyriam meditata, minabunda, blaſphema, boans, aut latrans, moroſa, contumaxque remedia omnia reſpuebat; donec balneis herbarum & ſuſpenſa e collo ſchedula ſuperſtitioſa ab ſuo delirio eſt liberata. Ad hancce obſervationem proxime accedit alia, quam nuper elucubravit I. F.
Hiſt. 46. BOLTEN *a*): puellæ 20. annorum imminuta

nuta

a) Nachr. von einem mit dem künſtl. Magnet. gemachten Verſuche in einer Nervenkrankh.

nuta ſenſim ab anno catamenia varios hyſtericos ſpaſmos, præſertim inflationem ſtomachi cum valido ingeſtorum quorumvis vomitu, globo hyſterico, & alvo pertinaciter clauſa, cauſſarunt. Poſtmodo licet bulimus ingens acceſſerit, nihilo tamen ſecius alimenta quæque atroci cum cardialgia aut ſingultu revomebantur, vel alioquin peſſimos ſpaſmos clonicos in tetanum deſinentes experiri ægram oportuit; qui per principia morbi cum vomitu alternas tenebant. Poſtea ſuperveniens hæmatemeſis abolito bulimo, afflictiſque viribus, ægram lecto affixit; atque tum vomitus ſpaſmique jam junctim ſævire occeperunt. Dextrum corporis latus uſque ad carpum, illæſo tamen motu, inſenſile factum, idque adeo exacte, ut inſenſilitas ad lineam biſectionis totius corporis ſecundum longitudinem omnino deſierit. Oculus dexter, jam ante amblyopia correptus, omni nunc viſu privatus eſt, periit olfactus, dolor caput, collum, ac ſtomachum invaſit, macieſque univerſum corpus, ſolis mammis intactis (quæ adulto morbo per aliquod tempus incredib liter intumuere, ut rupturam minarentur), extenuavit, ac denique crus dextrum perfecte paralyticum evaſit. Spaſmi bis indies (at progreſſo morbo

multo etiam crebrius) ſtatis horis, nimirum ad 12^{mam} meridiei, & ſub veſperam hora 6ta, revertebantur. Inſultus capto ab oſcitationibus, ſiniſtrique cruris agitatione, & ſtupenda oculorum ac oris huc illuc diſtorſione, aliisque convulſionibus clonicis, initio, paulo poſt ſenſus ademit: tum corpus momento obriguit, capite in alterutrum latus flexo, oculis & ore, poſtquam aliquoties magna vi magnoque cum ſtridore dentium alterne apertum & clauſum fuiſſet, arcte clauſis, artus inferiores, quamdiu dextri cruris paralyſis abfuit, ſpaſmus porrexit; illa vero nata crus lævum tempore inſultus poſt prægreſſam ejus agitationem ſpaſmus tetanicus demum ita curvavit, ut genu vel ad mammam vel mentum vel ſcapulam uſque admoverit: idem brachia curvavit, pollice in pugnum inſerto, ac mire ſimul ſubinde diſtorſit; aliquoties etiam ſub acceſſione digiti manuum adeo ſibi fuerunt implexi, ut illa finita vix ab ſe invicem dirimi potuerint: eapropter opera dabatur, ne eo tempore manus coirent. Sub his malis ſpiratio ad ſenſum nulla, motus cordis vix percipiendus, pulſus lentus, abdomen vehementer motum & ſæpe ſurſum pulſum, ſudor in apice naſi ac toto corpore. Tandem paroxyſmo, mediam mini-

minimum, alias integram horam, ampliuſve etiam duranti aliquot ſuſpiria finem impoſuere. Inde mens ocyus rediit, perſtante nihilominus adhuc, idque in horas etiam, tam valido muſculorum in artubus, maxilla, facie, oculiſque diſtortis rigore, ut curvata membra ſumma ope aliud ex alio extendi, os ſpatulæ dentibus inſertæ vi diduci, faciei vero & oculorum muſculi diuturna ac laborioſa frictione mobiles reddi, debuerint. In artubus extendendis cum inſignis primum renixus cum crepitu ſentiretur, deinceps tamen mox, ut membrum extentum erat, evanuit. Frictioni oculorum peculiare fuit, quod iſta in ſiniſtro prius inſtituta dextrum quoque ſua ſponte rigor dimiſerit; id quod in lævo non evenit, ſi dexter prius perfrictus eſt. Extra paroxyſmos ægrota pro ſuo genio, quantum per morbum licuit, hilaris erat, etiam tum, cum ipſa quoque deglutiendi facultas per inſigne tempus eſt intercepta; etenim provecto morbo obortus faucium dolor, nullo licet ſeu rubore ſeu tumore conſpicuo, niſi quod cartilago ſcutiformis tactu explorata parumper inflata viſa eſt, deglutitionem prorſus impedivit. Tandem etiam larynge circ. pollicem propius ſternum depulſa lingua in fauces eſt convoluta, quæ

iſthmum plane præcluſit, ſtatuſque hic (etſi aliquo poſt tempore rurſus deſiit) adeo erat violentus, ut dum larynge ſurſum levata lingua digito evolvebatur, ſeſe e veſtigio, elateris inſtar reſiliens, rurſus convolverit, quam primum digitus ſe ſubduxit; loquela tamen utcunque articulata perſtante. Inter innumeros tam diuturni morbi paroxyſmos non paucæ in ſpaſmis varietates obſervatæ ſunt, quarum una e præcipuis eſt, quod tetano maxillæ ſenſim diſparente ejus in locum tantus ſucceſſerit opiſthotonus, ut caput verſus os ſacrum reflecteretur. Remediorum hic nihil intentatum eſt relictum, cum quæ morbo ipſi tollendo, tum quæ deglutitioni læſæ reſtituendæ, idonea eſſe credebantur; ſed omnia caſſo labore. Impeditæ deglutitionis cauſſa injectiones, gargariſmata, fomenta, empl. de cicuta cum ☿, veſicantia brachio, tibiis, colloque admota, nil opis tulere: ut proinde ſolis demum enematis puella nutrienda fuerit, uſque dum malo tempus ipſum medelam tuliſſet. Ad ipſum vero morbum profligandum poſt fruſtra tentata emetica, aquas ſoterias, anthelmintica, efficaciſſima omnis generis nervina, tum V. S. balnea, enemata, fomenta, electricitatem, poſtremo ipſi etiam magnetes probatiſſimi, nu-

numeroſi, omni hactenus cognita methodo ac diuturno tempore variis ægrotæ membris locisque admoti ſunt, & ad promovendam eorundem efficaciam pediluvia calida quotidie extra acceſſionem bihorio uſurpata; ſed perinde nullo adhuc ſucceſſu, imo conſtanter accidit, ut pes lævus aquæ calidæ immiſſus cum omnibus digitis ad genu uſque non ſine dolore obriguerit, cui rigori poſtea ſuperando, ut alias, multa vis erat adhibenda. Quod ipſum ſiniſtro quoque brachio accidit, cum illud vice quadam a paroxyſmo adhuc rigens, quo facilius ad priſtinam mobilitatem adhibita vi conſueta reduci poſſet, aquæ calidæ immiſſum foret; rigor quippe ejus inde tantum increvit, ut nulla jam vis ad eum tollendum ſufficeret, novuſque inſultus foret præſtolandus, quo finito tandem ſolita methodo mobilitas brachio eſt procurata. Mirum autem eſt, nihil ejusmodi a pediluvio aquæ frigidæ fuiſſe obſervatum: numquid ergo balnea frigida erant profutura? Interea puella vivit etiamnum, ægrotatque. Subit hic memoriam ſimilis alius puellæ Vindobonenſis caſus, quæ pariter omnibus aliis necquidquam in auxilium vocatis, demum magnetum artificialium vim experiri conſtituit; cumque & hi ſpem fefelliſſent,

haud ita multo poſt fama tulit, eam ad matrimonium adjeciſſe animum, quo omnis corporis animique affectio auſpicato depulſa eſt. Alter non minus notatu di-
Hiſt. 47. gnus caſus eſt WURFBEINII *a*): virgo ad duodeviginti annos nata poſt dyſenteriam præmature ſuppreſſam in epilepſiam incidit, ſub cujus tamen inſultibus nec viſu nec auditu privabatur. Hæc aliquo poſt tempore continuo remediorum uſu mitior facta tandem in tetanum rectum univerſalem, per vices, velut epileptici prius inſultus, redeuntem eſt mutata. Ægra paroxyſmis defuncta mox ad ſolita ſua munia obeunda redibat, donec & his ipſis indies brevioribus redditis ac tandem exſtinctis priſtina rediiſſet valetudo. His addamus BOERHAAVIUM *b*): „ in
„ nonnullis (inquit ille) epilepſiis fit
„ ſummus tetanus, durans aliquando ſa-
„ tis diu, ita ut æger quaſi in ſtatuam
„ mutari videatur. In illo temporis mo-
„ mento totum fere corpus liveſcit, &
„ ſi malum diu durat, tandem nigreſcit.
„ Si hoc in quibuſdam locis magis fiat,
„ corpus fit verſicolor, ſi æger dorſo in-

a) Miſcell. Nat. Cur. Dec. 2. Ann. 9. Obſ. 228.

b) Prælect. Academ. de morbis nervorum T. 2. p. 782.

„ incumbat, loca preſſa, quibus incu„ buit, pallent, in reliquis eſt nigredo „ ſumma: hoc facit tam horrendum a„ ſpectum, ut multi cauſſæ ſuprahumanæ „ adſcribant, imprimis ſi manus tetano„ des certis pectoris vel abdominis parti„ bus applicentur, nam tunc figura ma„ nuum his partibus perfecte manet im„ preſſa: & hinc dictum fuit, diabolum „ manus ſuas his partibus applicaſſe. Sci„ tis, quod muſculus contractus pallet, „ venoſum ſanguinem expellit, arte„ rioſum ſiſtit: proinde ſanguis ruber „ intra totum corpus habet tanto minus „ ſpatii, quo plures muſculi contracti „ ſunt. Si nunc cutis in tetano epile„ ptico liveſcit, ſanguis non eſt mi„ nutus vel auctus, ſed quia locari non „ poteſt in muſculis, hinc pellitur in „ membranam celluloſam muſculos am„ bientem, & in ea ſtagnat: ergo in „ ſumma epilepſia vix ullus humor ma„ net intactus in toto corpore, nec ſan„ guis, nec reliqui humores, qui inde „ derivantur, imo agitato diaphragmate „ magnum hepar, bilis, &c. etiam agi„ tantur, nec in toto corpore ulla pars „ ſolida eſt, quin etiam afficiatur „. In Indiis epilepſiam infantum, ſi inſultus

ſit paulo diuturnior, plerumque in tetanum abire HILLARY *a*) obſervavit.

CAPUT VI.

EVACUATIONES NIMIAE.

§. 43.

Nimia bonorum humorum jactura peſſimas non raro convulſiones excitat, præſertim ſi ab ſolidorum ſpaſmis vehementioribus pendet, cujus generis evacuationes ſunt imprimis vomitus, cholera,
Hiſt. 41. &c. Apud COUM *b*) „ EUTYCHIDES „ ex *cholera* morbo in cruribus nervorum diſtentionem ſenſit, cum inferna alvi dejectione. Bilem abunde ſaturatam, multam & vehementer rubram ad 3. dies noctesque vomitione rejecit, cum corporis imbecillitate, & incontinenti jactatione. Nihil vero continere poterat neque cibi neque potionis quicquam: urinæ quoque multa ſuppreſſio, ejusque tranſitus, qui ad „ in-

a) Beobacht. über die Veränderung. der Luft, und die damit verbund. epidem. krankh. auf der Inſel Barbados p. 268.

b) Epidem L. 5. n. 78.

„ inferiora tendit. Vomitione fex molle„ lis prodiit, & deorſum projecta eſt „. *Arte inducta cholera* triſmum poſt ſe traxit lethalem apud HAENIUM *a*): „ fe- Hiſt. 49.
„ mina (inquit) innupta quadragena„ ria me acceſſit, narrans multis ab an„ nis in lævo latere infra coſtas ſe acer„ be dolentem, anxietates præterea, fla„ tus, borborygmoſque continuos ex„ pertam, cum undique ſolatium fru„ ſtra quæſiviſſet, ſe ſe curæ tradidiſſe „ agyrtæ, qui vehementer omnia ſurſum „ deorſumque evacuando dolorem qui„ dem mitigaſſet, verum debilitatem ma„ gnam, ſpaſmos, & catameniorum ceſ„ ſationem ipſi produxerat. Trimeſtri „ ſpatio ab hac crudeli cura elapſo ſpa„ ſmus prehendit maxillam talis, ut ni„ hil ore aſſumere, niſi unius olim elapſi „ dentis foramine, poſſet. Spiritu vini „ fovebat, fricabatque maxillam. Ter„ tio tetani die me convenit. Pulſus de„ biliſſimus ac tardus erat, licet horæ „ quadrantis iter, ut ad me veniret, con„ ficere debuerit. Durities muſculorum „ maxillæ magna non fuit. Externe „ oleoſa penetrantibus miſta applicui, ve„ ſicans ad nucham latum admovi, &

„ præ-

a) Rat. Med. P. 10. C. 4. §. 7. n. 2.

„ præſcripſi neuroticam MR^am^. Altero „ die lecto affixa me vocat. Video tetanum maxillæ rigidiſſimum, faciem „ & oculos rubros, pulſum fortem celerrimum, vehementem itaque febrem, „ lumborum dolores, jumentoſam urinam, „ deglutitionem adeo impoſſibilem, ut per „ nares exeant deglutienda. Hic ſane „ febris ſupervenerat convulſioni die 4to, „ & nihilo ſecius in pejus ruebant omnia. „ Venam ſecui, & enemate lexante rite „ operato clyſmata nutrientia omni quadrihorio curavi injici, cataplaſmata emollientia oleoſa tenſis circumdedi partibus. Trihorio poſt V. S. febris, rubor, „ calor, remittunt multum. Sanguis nec „ inflammatus fuit, nec aut tenuis aut diſſolutus: quæque jumentoſa apparuerat „ urina, eadem jam ſedimen album, flocculentum tamen, dabat. Pulſus nunc „ æquabilis, bonus, plenior longe, fortiorque quam pridie in ædibus meis „ fuerat. Sed cum tanta rerum emendatione tetanus idem, eademque deglutitorum per nares reverſio. Amiciſſimus VELSE curam me hortante ſuſcepit mecum: medicinam internam externamque in magis neuroticam mutavimus. Die 11ma April. poſt inſomnem pene noctem, ſummo cum labo-

„ re

„ re deglutivit quædam: 12ma April. nox „ inſomnis, deglutitio fere impoſſibilis, „ pulſus æquabilis, ſed debilior, enema- „ ta nutrientia abſorbentur tota, ſæpius- „ que repetuntur. Aprilis 13^{tia} clonicæ „ convulſiones per noctem frequentes, „ quibus durantibus maxilla relaxata cum „ magno oris hiatu fuit, clonica vero „ convulſione ceſſante rediit mox tonica „ colli dorſique. Pulſus debilis jam & inæ- „ qualis, frigus extremorum, mentis ju- „ gis præſentia; ad horam 10^{mam} diei ſuæ „ $8^{væ}$ mente præſens exſpiravit ore ſpon- „ te aperto: ita enim, quotquot morti „ affuerant, nobis teſtati ſunt. Nega- „ batur nobis anatome. Vidimus in ca- „ davere, 8. a morte horis elapſis, ſic „ clauſam maxillam, ut aperire illam, „ niſi ſumma cum vi, nequiremus. Ore „ ſic vi aperto mali nihil aſpeximus in „ faucibus, lingua tumebat. Exterius „ ad cartilaginem ſcrutiformem & ad os „ yoidis comparebat tumor; ſed ultra „ examinare vetabamur „. Ita *a vehe-menti vomitu* quoque triſmum obſerva-
vit I. G. SEGNITZ *a*): virgo 21. ann. *Hiſt. 50.*
cui viceſimo anno primi menſes fluxere,

ſed

a) v. BÜCHNER, l. c. A. 1730. Aug. Cl. 2. Art. 3. p. 1248.

ſed inordinate, ubi ex itinere multum incaluiſſet, ac poſtea die integro ſub aprico ſole linum runcando creberrima corporis inclinatione ſanguinem rarefactum (qui olim V. S. eductus muci ſæpius, quam ſanguinis boni ſimilis, gelatinæ inſtar coibat, ac poſt moram maxima ſui parte in aquam liquabatur) verſus caput copioſius determinaſſet, ſimulque frigido ſe ſe potu ac pravis cibis oneraſſet, noctu ſepties vehementer vomuit. Mane ſumtis antiſpaſmodicis, munitoque extrinſecus roborantibus topicis ventriculo, vomitus deſiit; at meridie magnis cum lipothymiis eſt reverſus adeo, ut ægra neque V. S. neque crebris admotis excitantibus ſui compos reddi poſſet: internis autem remediis obſtitit & maxillæ tetanus, & deglutitio impoſſibilis. Hi tandem ſpaſmi in vehementes convulſiones vertebantur, atque ægra, quin ad ſe amplius rediret, ſub noctem ad horam 10. vivere deſiit.

CAPUT VII.

METASTASES.

§. 44.

I. PODAGRA, *arthritis anomalæ* (i. e. ubi materia podagrica vel arthritica ſeu vi vitæ languente, ſeu ob vitia articulorum, ad quos deponi ſolebat, ſeu medicationem diætamve pravam, &c. a locis conſuetis arcetur, aut retropellitur) viſæ ſunt produxiſſe tetanos. Triſmum hinc ortum ex PLATERO jam alias *a*)vidimus: tetani vero recti univerſalis duo ſuppetunt exempla. HAENIUS *b*) podagræ obnoxius 7ma Decemb. veſperi poſt momentaneam vertiginem nauſea levique colica prehendebatur. Facta V. S. ſumtum ſub noctem catharticum die poſtero rite operatum eſt; inſequente tamen nocte dyſenteria mucoſo-cruenta cum tetano univerſali ſupervenit. SWIETENIUS podagram retropulſam eſſe ratus, acria pedibus epiſpaſtica applicari, ore anoque obvolventia ingeri cum addito opio jubet; *Hiſt. 51.*

a) Vid. §. 5. B. n. 1, H, 11. *b*) Rat. Med. P. 10. C. 4. §. 7. n. 6.

bet: ſicque pulſo poſt 12. horas tetano, æger citra podagræ inſultum poſt 7. dies rurſum convaluit. Ab eadem etiam cauſſa in ægro CORNACIS *a*) morbus idem *Hiſt.* 52. profectus fuiſſe videtur. Erat hic podagricus, cui digiti a multis jam annis nodoſi & incurvi erant. Huic etſi totum rigeret corpus, tamen & dolor aberat, & ſpaſmus ab oculis palpebriſque. „ Durabat ipſe ſpaſmus . . . per dies & noctes tres: tandem ſubito rediit mollities primo, ſubinde motus membris, per cutem vapore quodam rorido prorumpente, qui morbum quaſi criticando ſolvit. Erat hic caſus cum pertinax (ſiquidem nullis medicamentis cedere volebat), tum lamentabilis æque ac memorabilis. Sed quod notatu dignius, internarum partium nulla convellebatur: quin imo cerebrum, lingua, ventriculus, inteſtina, veſica, anus ſuum utcunque faciebant officium. Sola deglutitio aliquantum præpedita fuit, ob muſculos œſophagi ori compatientes „.

§. 45.

a) Enchirid. Med. L. 2. t. 28.

§. 45.

2. EXANTHEMATA *retrogreſſa.* Ab *eryſipelate* retropulſo triſmum COLLINI *a*) puella contraxit. E. ROSEN *b*) „ feminam novit 30 annorum *purpuræ* frequentius obnoxiam, quæ cum „ eandem pateretur, ita tamen, ut negotia ſua curare poſſet, in culina vero „ frigori ſemet tantillum exponeret, diſparente purpura in rigorem incidit „ maxillarum per octiduum durantem, „ adeo gravem, abſque febre tamen, ut „ niſi ſiphone per evulſi antea dentis locum alimenta ſimul & medicamenta adminiſtrare licuiſſet, de exitu mali perquam fuiſſet dubium „. Similem quoque caſum virgini cuidam contigiſſe refert. Perinde ab iterata purpuræ albæ retroceſſione ſemper emproſthotonum ortum vidit A. B. REGENHERTZ *c*). *Hiſt. 53.*

§. 46.

3. ALVI FLUXUS. Quinquagenario majoris caſum refert STORCH *d*), qui hæmor- *Hiſt. 54.*

Trnka de Tetano. I

a) Vid. §. 115. H. 163.

b) vid. HALLER. Diſp. ad hiſt. & cur. morb. pert. T. 6. Diſſ. 198. §. 16. p. 195.

c) Vid. §. 51. Hiſt. 79.

d) v. BÜCHNER. l. c. A. 1728 Octobr. Cl. 2. Art. 3. §. 4. p. 1376.

morrhoidum loco diarrhææ quotannis obnoxius, hac vice quadam non revertente, ſpaſmo pectoris oppreſſus, ſumtis ab empyrico remediis in triſmum incidit cum tam dolorifico totius corporis ſpaſmo, ut nec per 3. minuta uno in ſitu perſeverare poſſet, ſed potiſſimo tempore ſtans a binis robuſtis hominibus ſuſtentandus erat. Dolorifici ſimul convulſivi pectoris ſuccuſſus aderant. Adhibitis antiſpaſmodicis clyſmatibus ac veſicantibus, femora tumor inſedit, quo & pectus levatum, & ſpaſmi ſuperiorum partium mitigati: deinde copioſis urinis excretis poſt 4. hebdomades a tetano convaluit.

§. 47.

4. CATAMENIA hyſtericis præſertim a frigore aut animi pathemate (quæ ſola ſæpe tetano producendo ſufficiunt) aut alioquin ſubſiſtentia graves nonnunquam tetanos induxerunt, velut ex obſervationibus BIERLINGII *a*), BOENNECKENII *b*), ac WHYTTII *c*) elucet. Addimus his alias. Refert BAION *d*) Germanæ hæmorrhagia uteri laboranti datam in noſocomio potionem adſtringentem ſubito fluxum compeſcuiſſe. Ægra nyċthe-

Hiſt. 55.

me-

a) l. c. p. 737.
b) Vid. §. 116. Hiſt. 164.
c) Vid. §. 5. A. n. 1. H. 9.
d) v. ROUX l. c. T. 30. p. 499

mero nil queſta, primo mane diei 3ᵃ domum petens, haud ita multo poſt in noſocomium rediit: vix decubuit, cum convulſivi quidam motus ſe exererent; poſtea maxilla obrigeſcere cœpit, pulſus multum elevabatur ſine celeritate, ſudor toto corpore perpetuus, viſcidus, ac fere frigidus. Poſt 6 horas triſmus perfectus, ſpinaque dorſi adeo curvata, ut os ſacrum collo capitique eſſet vicinum. Tandem pulſu parvo ac lento admodum facto, ſudoreque ſemper frigidiore, mulier poſt 10 horas exſtincta eſt; licet mox initio narcotica magna doſi data, frictiones dorſi ſoluto opio in 🜄 factæ, poſtea & enemata acria infuſa, catharticumque exhibitum. Memorabilis quoque eſt obſervatio, quam dedit ECCLES *a*): puellæ 16 annorum poſt 15 annum uſque ad Februarium A. 1720. catamenia rite fluxere, donec inopina optimi Patris mors, in eorundem ſolitum tempus incidens, illa nimia effeciſſet cum tremore ac ſyncope, non tamen diuturnis. Inde ad inſequentem uſque periodum utcunque bene habuit, qua menſium fluxus ubi ſe cum prioris periodi ſymptomatis oſtendiſſet, *Hiſt. 56.*

I 2 per-

a) Med. Verſuch. und Bemerk. der Aerzte von Edinburgh 5. Band, 2. Th. n. 43.

perinde non diuturnis, continuo iterum ſubſtitit. Revertente fluxus termino loco fluxus prius dicta ſymptomata adfuere, at crebriora vehementioraque, e convulſionum proſapia. Maji itaque principio detractus primum ſanguis, tum emeticum datum, repetitumque aliquot poſt diebus; cujus operatione finiente mox cœpit puella difficilem experiri deglutitionem; intra unum alterumve diem nil deglutire potuit, quod quoties tentabat, ſemper morbus prior magno cum tremore revertebatur; alternisque pectoris ac abdominis elevationibus, qui inſultus plerumque minutum tantum, alias tamen $\frac{1}{4}$ horæ, alias etiam $\frac{1}{2}$ horam duravit, ſemperque univerſalem in Tetanum deſinebat, quo oborto nullum articulum flectere potuerat. A medio Majo cibo potuque utebatur ad quintam decimam uſque Junii, quo tempore in urbem reverſa D. ECCLES curæ eſt tradita. Accitus ille exhibuit cochlear Julapii antihyſterici, quod ubi primum ad 2. pollices infra pharyngem locum œſophagi ſpaſmo obnoxium attigit, ægram continuo Tetanus prehendit. Cum itaque remedia deglutiri nullatenus poſſent, fomenta & cataplaſmata nervina roborantia & antihyſterica collo circumdabantur; ſed incaſſum. Quapropter teſti extremo ſpon-

giam

giam alligatam œſophago immiſit, ſed cum magna ibi percepta tum ſub immiſſione, tum eductione reſiſtentia. Interea bis tentata re ſpaſmus ceſſit, & ægræ priſtinam deglutiendi quæque facultatem reſtituit, idque per tres hebdomadas: nihilo tamen minus omnia rurſus vomitu excutiebantur, (præter MRam antihyſtericam, ceraſa, & fraga) cum virideſcente ſimul materia cibis ultimo aſſumtis admiſta. Toto tempore, quo nil aſſumſit, uti poſtea etiam, alvus erat obſtructa. Eapropter injecta enemata cathartica, quorum uno immiſſo copioſus adeo ſanguis erupit, ut biduo ad ℔ ij. illius amiſſum ſit: quo repreſſo per enemata vulneraria ac adſtringentia tantus denuo œſophagi ſpaſmus reverſus eſt, ut medio Julio deglutiendi facultate intercepta per 54 dies cibo potuque abſtinendum fuerit. Tetanus nunc & crebrius & vehementius infeſtabat, quo præſente ſenſatio omnis aberat. Inſtrumenti prius dicti in œſophagum immiſſio tetanum ſemper tam vehementem revocabat, ut mors in momenta ſecutura videretur. Poſt jejunium 3. aut 4. hebdomadum ægram viſus primum (ob pupillas vi convulſionum ſurſum tractas), tum auditus etiam defecit; familiares tamen ſe inviſentes ta-

ctu agnovit, ita ut a quoquam manu prehenſa ejus nomen ediderit. Menſe poſt viſum primum, tum aliquot poſt diebus auditum quoque recuperavit. Septembris 10ma Zythum popoſcit, quod quia facile deglutiit, conſtanter poſtea, ſubinde vero ſerum lactis etiam, bibit. Pomis pyrisque ſeu coctis ſeu crudis veſci potuit, pane vero, aliove duriore cibo, non perinde. Ab uſu ſeri lactis ac Zythi hora bihoriove mente movebatur. Leviſſima vel mora vel negligentia, ſi quid popoſcit, tetanum revocabat. Hæ miſeriæ ægram a 22da Decembr. ad uſque Martium anni 1721 affligebant, nulla rerum mutatione facta, niſi quod potiſſimum tempus in lecto tranſegerit, nec niſi 8vo aut 10mo quoque die ejus renovandi gratia illum reliquerit, quo vix relicto e veſtigio tetanum experiebatur haud prius deſiturum, quam lectum rurſus repeteret. Brevi poſt tempore durus poſt aures tumor eſt obortus, die 11ma Septembris adhuc, quæ dies ephemeridum D. ECCLES eſt poſtrema, præſens. Tumque aliquot horis lectum impune deſerere licuit, omnibusque fructibus horæis, non item pane vel carne, veſci. Famis ſenſum nec primo nec altero abſtinentiæ tempore eſt experta, neque inde magnopere corporis habitus eſt

immi-

imminutus: forte quod primæ abſtinentiæ tempore quovis nyćthemero aut unum, aut, quod rarius accidit, bina enemata nutrientia ex alica, vitello ovi, & juſculis fuere immiſſa, quod idem in altera quoque abſtinentia primis 30. diebus præſtabatur; at deinde ne id quidem licuit, ob tetanum ad leviſſimum quemque motum revertentem. Pulſus in utraque abſtinentia plenus, fortis, æqualis, at naturali paulo tardior, fuerat: ſpiratio libera, faciliſque, urina ſanæ ſimilis. Alvus contra jejunanti adeo pertinaciter clauſa, ut menſe integro non ſolveretur: quamobrem catharticis enematibus opus erat. Poſtea nil aliud de ægra innotuit, quam eadem illam ad finem uſque anni perpeſſam fuiſſe mala cum intervallis lætioribus, ſc. convulſivos motus ac Tetanum. Paroxyſmi tempore ſui impos erat, adeo ut, licet venturum præſenſerit, adfuiſſe tamen ignorarit. In uſu horæorum fructuum perſeveravit. Labentibus demum viribus exeunte Decembr. 1721. inter amicorum colloquia, ſine dolore, ſine convulſione, placide exſpiravit, obteſtata prius genitricem, ne ſecandi cadaveris copiam cuiquam faceret: quæ etiam poſt obitum haud aliud, quam eam gulæ partem explorandam indulſit, quæ convulſivos in-

ſultus ſuſtinuit. At nihil ibidem ſingulare repertum eſt

§. 48.

5. PERSPIRATIO, ſudorque ſi ſupprimuntur, omnium metaſtaſium maxime tetano producendo favent. Animadvertendum autem eſt, ad tetanum a perſpiratione ſuppreſſa oriundum duo præcipue concurrere, videlicet materiæ perſpirabilis acriorem in quibuſdam corporibus, ac ſui forte etiam generis, indolem, tum aerem ſolito frigidiorem corpori perſpiranti ſubito admiſſum. Ambo hæc expendere curatius oportet.

§. 49.

A. *Aer frigidior* ſolito quam idoneus ſit ad tetanum generandum, e COI *a*) obſervatione colligitur; ſiquidem eo notante „ frigidum oſſibus adverſum, dentibus, nervis, cerebro, dorſali medullæ, . . . ulcera mordet, cutem obdurat, dolorem inſuppurabilem facit, denigrationes, rigores febriles, convulſiones, nervorum diſtentiones „. Unde

&

a) Sect. 5. Aphor. 17. 18. 20.

& ARETAEUS *a*) inter præcipuas morbi cauſſas intenſum admodum frigus retulit. Tempora autem, queis ſolito frigidior aer effici, corporique tranſpiranti ſubito applicari, atque ſic tetanum cauſſare ſvevit, tria potiſſimum ſunt, nimirum

a.) *Nox*, ſeu tempus ab occaſu ſolis ad ejus ortum. Multi profecto vel interdiu ſolis radiis & labore excalfacto corpore largius perſpirantes, ſi ſero veſpere in frigidiore aere diutius ac leviter induti quietis ergo moras traxere, vel ſub dio pernoctes crapulam ſub ſomno efflarunt, vel qui ſub auroram e lecto calido egreſſi auræ horridulæ continuo ſe objecere, tetano prehenſi fuerunt. HOFERUS *b*) meminit feminæ ad 36 annos natæ, quæ trimeſtri poſt, quam decimo e puerperio egreſſa eſt, mane poſt ſudorem largum auræ aquiloniæ frigidæ ſe exponens, meridie pranſura triſmo ſe teneri obſervavit. Poſtero die ſecta vena jugularis, & extus admotæ herbæ aromaticæ calide, ſine levamine. Poſt biduum balneum aquoſum ex iiſdem herbis collotenus per horam, & interne jus cum ſucco naſturt. aquat: perinde incaſſum, imperata; namque bal- *Hiſt. 51.*

a) De cauſ. & ſign. acutor. morbor. L. 1. C. 6.

b) Act. Helvet. Vol. 1. p. 69.

neum ſuſtinere ultra 12 minuta ob tenſiones omnium muſculorum nequiens, egreſſa inde in tetanum univerſalem incurrit: a quo demum diaphoreticis, nervinis, ac veſicante nuchæ applicito eſt liberata.

Hiſt. 58. Apud BONTIUM *a*) miles ebrius tota nocte humi dormiens, correptus opiſthotono cum truci vultu, voce turbida, deglutitione impoſſibili, intra 4 dies obiit. In cadavere nil repertum, præter venas meningum cruore turgidas, & ventriculos cerebri humore vitellino viſcido fœtenteque ſcatentes. Eodem malo, cum cynico ſimul dextri lateris ſpaſmo, ſigniferum, qui in arce ſtationem habuit, intra 24 horas pereuntem obſervavit. Æthiops GLOSTERI *b*) perinde poſt ſummum æſtum diurnum nocturnæ auræ ſe exponens in tetanum univerſalem incidit;

Hiſt. 59. uti & bini milites HUCKII *c*) in obſidione Havanæ menſibus Junio Julioque interdiu ardenti ſoli, noctu rori frigido objecti triſmo correpti ſunt. Eundem triſmum e veſpertino frigore militi accidiſſe narrat SAUVAGES *d*). Frigoris vero his temporibus intenſitas major etiam eſt nonnullis in

a) Obſerv. Select. n. 1.
b) Vid. §. 124. Hiſt. 174.
c) Medic. Bemerk. und Unterſ. einer Geſellſch. von Aerzt. in Lond. 3. B. n. 31. p. 279.
d) Vid. §. 108. Hiſt. 157.

in locis, adeo ut in iis corpora ad tetanum diſpoſita eo promtius illum contrahant. Ejuſmodi vero loca ſunt montoſa, vel mari vicina. Sic I. L. SCHMUCKER *a*) vidit in montoſis Bohemiæ ac Moraviæ locis, ubi dies fervidi, frigidæque admodum ſunt noctes, milites tetano affici, qui quandoque in lumbis aut brachiis ictus a globis bellicis paſſi ne echymoſes quidem habuere. BAION *b*) vero in inſula Cayenna, ubi adeo vulgatus eſt tetanus, ut nuſpiam ſub zona torrida magis, omneſque ſine diſcrimine advenas juxta ac indigenas corripit, illis præſertim in locis morbum eſſe crebriorem expertus eſt, quæ & mari propiora, & ediriora ſunt; contra vero minus frequentem in humilioribus & a mari remotioribus, id quod illuſtri exemplo confirmat *c*), nempe in D. MACAYE generalis Coloniæ Procuratoris domicilio, quod humili loco, & montibus altiſque ſilvis cincto duas circ. a mari leucas ſitum erat, triſmus neonatorum adeo primum fuit infrequens, ut e 12. aut 15. infantibus vix unum corriperet. Biennio poſt unus colonorum magnum ſilvæ tractum, qui inter

Hiſt. 60.

Hiſt. 61.

---

a) Chirurg. Wahrnehm. 2 Theil. 6 Beobacht. p. 96. ſq.

b) l. c. p. 406. ſqq.

c) Ibid. p. 410. ſq.

ter mare domiciliumque dictum velut murus interjacebat, excidit, atque ſic auræ a mari venienti frigidiori illum ad locum iter patefecit. Ex hoc autem tempore obſervatum eſt, omnes pene recens natos ibidem e triſmo perire cœpiſſe. Plura id genus exempla poſtea occurrent.

b.) *Atmoſphæræ mutationes* ſubitæ frigus æſtui prægreſſo ſubitum inducentes, ut ſunt imbres, venti perfrigidi, &c. præſertim in fervidis orbis plagis, vel æſtate fervida. Hinc qui ſub æſtu in aprico laborantes ſudore perfuſi a ſuperveniente imbre ac vento ſubito refrigerantur, tetanum timendum habent, uti & qui in diuturnis pluviis verſantur, velut mulier apud D. S. H. D' AMBON *a*), & alii. SAUVA-
Hiſt. 62. GES *b*) vidit juvenem tetano correptum, poſtquam calente corpore in puteum rotatorium deſcendens humidum ibi frigus ſubitum eſt perpeſſus; methodo tamen antiphlogiſtica intra 7. dies, criticis ſudoribus obortis, liberatum. Analogum huic, at diſparis eventus,
Hiſt. 63. caſum narrat I. LAZERME *c*): „ ruſticus „ annos 40. natus . . . æſtate media in „ puteum deſcenderat, ut eum luto ex-
„ pe-

a) Vid. §. 140. Hiſt. 197.
b) l. c. Ord. 2. Art. 7. n. 1. p. m. 30.
c) Tract. de morb. intern. capit. p. 225.

„ pediret; poſt moram aliquam horro-
„ rem & frigus cum membrorum torpo-
„ re paſſus eſt; dein operis impatiens
„ ſocios rogavit, ut ſe extraherent: eadem
„ die tetano obriguit, ac tanta muſculo-
„ rum abdominalium convulſione corri-
„ piebatur, quod in aliis non videram,
„ ut convulſi muſculi ad inſtar tabulæ re-
„ nitentes in abdomen depreſſi gravem
„ anhelationem efficerent; fibras quoque
„ inteſtinorum muſculares rigidas, con-
„ vulſas ſuſpicatus ſum, quia æger adhi-
„ bito quovis ſtimulo alvum tamen depo-
„ nere non poterat, invito omnium au-
„ xiliorum genere 4[ta] die obiit „.

c.) *Hyems* & partes autumni ac veris ei propiores, frigore humido inſalubres. ARETAEUS *a*) „ hyems (inquit) „ omnium maxime horum vitiorum ferax „ eſt, ſecundo ver & autumnus, æſtas „ autem minime, niſi vulnus præceſſerit, „ aut peregrini morbi graſſentur in vulgus „. Confirmat rem HOFERUS *b*), qui obſervavit triſmos infantibus Helvetis hyeme præſertim, humidoque tempore eſſe frequentiores. Sic RIVERII *c*) anus men-

a) l. c.

b) l. c. p. 64.

c) Vid. §. 16. Hiſt. 147.

menſe Januario in auſtro ac pluviis iter faciens triſmo, & WEBERI *a*) juvenis Aprili menſe humidum hortum fodiens tetano univerſali, mercatorque R. I. FORTIS *b*) menſe Decembri ex itinere ab imbribus ventoſis capite ac tergo madens, cœna vinoque refectus, nocte concubia opiſthotono, ſunt correpti. Interea haud ita ſemper ARETAEI obſervatio obtinet, ut non & contra accidat; etenim teſte CHALMER *c*) in meridionali Carolina tetani omni anni tempore graſſantur, ſæpiſſime vero æſtate, minus vere & autumno, ac minime omnium hyeme. Utique anni tempora per ſe ad morbos faciunt nihil, ſed eatenus tantum, dum corpus calens frigore ſubito vel diuturno perfundunt, quod pro varia locorum natura variis anni temporibus fieri poteſt. In Carolina certe æſtas fervida imbribus ſubitis interpolata, homines in aprico laborantes occupantibus, aptior eſt alio quocunque anni tempore perſpirationi ſupprimendæ; quod alibi terrarum ſecus obtinet.

§. 50.

a) Vid. §. 99. Hiſt. 153. *c*) l. c. p. 82.
b) Conſult. T. 1. Cent. 1.

§. 50.

B. *Perſpirabilis materia* autem, quæ tetano efficiundo eſt idonea, qua indole ſit prædita, etſi pro certo nemo dixerit, divinare tamen cum ratione licet, illam ad putridam accedere acrimoniam. Etenim perſuadent hoc ſubjecta huic morbo facta obnoxia, qualia ſunt, quæ aut actu aliquo corporis in loco putredinem fovent, aut ad eandem humores maxime omnium diſpoſitos habent. Ad poſteriorem claſſem pertinent

a.) *Incolæ zonæ torridæ*; quippe qui ex omnibus pene orbis habitabilis populis morbis quibuſvis putridiſſimis, ut febribus cum diſſolutione humorum putri, dyſenteriis, &c. ſint obnoxii. Hinc tetani, teſtibus BONTIO *a*), BISSET *b*), CHALMER *c*), LIND *d*), &c. adeo ſunt apud Indos endemii, ut nuſpiam terrarum perinde; ſiquidem & minimas quaſque læſiones externas, & ſuppreſſam perſpirationem facillime conſequuntur. Ad horum forte diathiſin proxime accedunt *potui fermentato dediti*, qui venis eodem infla-

a) Meth. med. in Indiis Orient. Cap. 2.

b) Medic. Eſſays and Obſervations Art. 8.

c) l. c.

d) Verſuch über die krankh. denen Europæer in heiſſen Climat. unterworf. ſind, 3. Th. 1. C. 4. Abſchn. p. 243. ſq.

flatis ſi ſubito frigori ſe exponunt, facile in tetanum incidunt. MORGAGNI *a*) Patavii tres mero calentes, ubi ſe frigidæ
Hiſt. 64. auræ objecerant, tetano prehenſos refert, quorum uno ſervato duo intra quatriduum obiere. Ad priorem autem claſſem referendi ſunt homines, apud quos reperiuntur

b.) *Vulnera ſuppurata.* Pluribus omnino modis vulnera tetano occaſionem præbent, ſingulos ſuis videbimus locis: hic ille conſiderandus, qui a pure. Nemini ignotum eſt, puris in ulcere tenuiorem partem reſorberi, quam, ſi nec nimia, nec prava admodum eſt, natura viribus vaſorum per colatoria eliminat, citra ſenſibile corporis detrimentum: ergo & per cutem, & quidem maximam ejus partem, ob numeroſiſſima in tanta ſuperficie vaſa exhalantia. Si itaque frigus hunc exitum interturbet, quid non mali, in irritabili præſertim corpore, eſt exſpectandum? Ne id autem ſpeculationem redolere videatur, en luculentum e SCHMUCKERO *b*) caſum!
Hiſt. 65. Matrona 27 annos nata, aliquoties jam partu defuncta, octiduo ante noviſſimum par-

a) l. c. Epiſt. 10. n. 3. *b*) l. c. p. 10. ſqq.

partum fortuito inter induendum ab ancilla validiſſimum pollicis ictum in ſuperiore lævæ mammæ parte ſuſtinuit: unde terror dolorque ocyus mammæ eryſipelas cauſſarunt, cui diſcutientia ſicca admota. Partu interea levatæ poſt febrem lacteam, lactiſque imminutionem levis quædam, at ſuſpecta, durities in mamma reſtitit, crevitque continenter, fruſtra efficaciſſimis quibusque cum externis tum internis remediis diuturno uſu tentatis. Tandem biennio poſt tumor menſe Septembri finiente a Cl. Auctore ferro eſt ablatus: ægræ lecto compoſitæ quies, faſciæque loco non movendæ, imo manu alius continuo tuendæ, imperantur; neglecti tamen parumper hujus moniti ſuſpicionem hæmorrhagia levis a meridie oborta, ocyus tamen cohibita, præbuit: eapropter MR[a] anodyna data. Nox prima tranquilla abiit; poſtero die ſub veſperam leves motus febriles acceſſere: data idcirco temperantia, poſtridie quoque uſurpanda. Febris non crevit. Die 4to demto apparatu jam rudimenta ſuppurationis fuere conſpicua, & die 5to jam extra lectum ſedenti deligatum vulnus. Diem 6^{tam} extra lectum alacris tranſegit; ſecretiones omnes ſecundum naturam; in vulnere pus bonum; dolor pene nuſpiam. Datum nunc indies

infuſum aquoſum corticis Peruviani. Febris prorſus deſiit, ſomnus noctu placidus, dies amicorum alloquiis jucunde abſumti, diæta, pro eo ac par erat, obſervata: pus in vulnere optimum, & ob novas papillas jam ſuccreſcentes die 8vo deligationes ſiccæ fieri cœptæ. Ita res auſpicato ad tertium decimum uſque diem proceſſit, quo ægra alacris mane lectum reliquit, ac paulo poſt per feneſtram in publicum proſpexit, horridula illo die aura autumnali ſpirante. At vero

Hinc illæ lacrimæ!

Hora 11ma ſub meridiem dolor faucium obortus: exploratione facta nil niſi uvula paulo laxior citra ullum tonſillarum tumorem, reperta eſt. Datum gargariſma ex infuſo theato cum pauxillo aceti vini. Vulnus ſub deligatione inſpectum optimo in ſtatu, & plus dimidio nova carne refertum ſiccam rurſus deligationem admiſit. Veſperi dolori faucium difficilis quoque deglutitio, ac cervicis rigor immobilis, cum pulſu parumper febrili, juncta erant. Malum hoc, quod ægra & ſemper hactenus levius induta fuerit, & frigori ſe ſe expoſuerit, perſpirationi ſuppreſſæ imputatum: idcirco lectum petere juſſæ, ſacculis e chamom. & fl. ſamb. collum munitum, datique tres pulv. ſinguli e ⦶ ℈j. &

camph.

camph. gr. j. veſpere ac mane uſurpandi ſub regimine perſpirationi idoneo. Nox inquieta. Die inſequente, ſub optima licet tranſpiratione, præter priora ſymptomata maxilla ſimul jam minus obſequens, & a meridie tantus triſmus, nihil ut pene os admitteret: vulnere interea optime procedente. Prædictione cognatis facta, enema primum commune, tum aliud ex aſa fœtida injectum, potus demulcens, emolliens, nutrienſque præſcriptus, ac per hiatum dentis canini dextri abſentis ori immiſſus, uti & MR[a] ex Aq. Ceraſ. ℥ij. LL. ʒj. c. ſyr. Alth. omni hora ad cochl. j. ſumenda. Maxillæ cataplaſmata emoll. applicata. Nox priore nihilo melior: acceſſit tuſſis cum ſputis mucoſis, ob os clauſum laborioſe admodum rejiciendis. Opii uſus continuatus, & leniendæ tuſſis ſputorumque promovendorum ergo addita MR[a] ex Aqq. pectoral. cum ſyr. Alth. & Oxym. Scillit. in intervallis prioris uſurpanda. In vulnere pus bonum, dolor nullus. Tota dies præcedenti ſimilis. Veſperi exhibita extracti opii gr. iij. in ▽[æ] cochl. iij. ſoluta, unde omni trihorio cochl. j. uſui datum, & enemata ob tenſiones in abdomine perpetuas iterata. Nox 3[tia] præcedentibus inquietior, ſpaſmi ſenſim increſcentes in perfectum te-

tanum adolevere. Itaque intra nyćthemerum data extraćti Opii gr. vj. a queis ſymptomata triſmuſque parumper remiſere, & ex intervallis ſomnus modo per $\frac{1}{2}$ h. modo per integram horam obrepſit; ſed eodem decedente ſpaſmi multo quam ante fuere vehementiores. Vulnus idem eandem præbuit puris copiam. Nox 4ta prægreſſæ ſimilis. Ob abdomen etiamnum tenſum, aućtoſque ejus dolores data ſalis Segnietti ℥j. alvum quinquies inſigniter ſolvit. A meridie opium denuo porrećtum, & ob ſpaſmos ventris ac thoracis majores emplaſtrum e cruſta panis cum opio crudo admotum, ſine levamine. Neque plus profuere cataplaſmata cum oleo lini recenti maxillæ impoſita. Abhinc ad inſequens mane opii gr. vj. abſumta nullum accivere ſomnum. Mane diei 5tæ nuchæ tenſionibus vexatæ veſicans applicatum ob continuam tranſpirationem vix aliquid præſtitit. Pro ſecuturo nyćthemero enemata aliquot, & opii gr. viij. imperata. Dies hæc præcedente quidem pacatior, pulſu licet pleno ac febrili; at triſmus nunc jam tantus, ut dolor ægræ gemitus exprimeret: perinde dorſi tenſio invaleſcens opiſthotonum denique accerſivit. Vix jam aliquid deglutiri potuit, ſed potiſſimum ore refluxit. A dićta opii doſi ſpa-

ſmus

ſmus mane diei 6ᵗᵃ nil remiſit. Unde data Opii gr. viij. in olei Amygd. ℥ij. cujus licet inſignis abſumta quantitas, cataplaſmata & enemata continuata, nihil tamen morbum mutarunt. Sub mediam noctem repetiit opiſthotonus cum lethali anxietate, nervi omnes in vehementiſſimis erant motibus convulſivis, & matrona ſummo loco nata, ætate integra, emendata forma, ſecundis avibus nuptui data, vitam in matrimonio volupe tranſiens, mediis in cruciatibus, mente ſibi conſtans, diem ſupremum obiit, relicto ſui apud conjugem liberoſque deſiderio.

.... Scilicet ultima ſemper
Exſpectanda dies homini: dicique beatus
Ante obitum nemo, ſupremaque funera
debet *a*).

Num eadem de cauſſa *neonati* ad 9ᵘᵐ nativitatis diem in inſula Hiſpaniola & Cayenna triſmo adeo obnoxii ſunt, ſi aeri libero exponantur, quouſque nimirum *umbilici vulnus* prorſus non conſanatum eſt *b*)? Non eſt hic prætereundum, vulneratos eo etiam eſſe tetano contrahendo magis expoſitos, ſi locus, in quo decumbunt, putridis ſcateat effluviis. THE-

a) OVID. Metamorph. L. 3. v. 135. ſqq.

b) Vid. §. 66. n. 1.

DEN *a*) frequentiores vulneratorum tetanos obſervavit in noſocomiis, ubi aer nulla arte renovabatur; contra ea multo rariores, ubi indies arte purus aer in conclavia eſt admiſſus. Quæ res hactenus dictis non parum ponderis adjicit; etenim perſpirabile putridæ indolis ſeu in corpore natum non excernatur, ſeu aliunde adveniens corpori ſeſe inſinuet, eundem exerat effectum, oportet.

c.) *Febres putridæ* prægreſſæ. Obſervavit BAION *b*) in Cayenna adultis tetanos facile accidere, qui ſuperato acuto aliquo morbo præmature ſeſe, mane præſertim, auræ a mari venienti exponunt. Binis id exemplis illuſtrat, uno de æthiope, qui poſt pleuritidem veſperi ſuper vallo mari obverſo per horam moratus, altero die tetano eſt correptus *c*). Altero
Hiſt. 66. de viro 3na duplici continua in fine ſecundi ſeptenarii liberato, qui per 5. aut 6. dies apyretus, commodeque valens, cum mane quodam animi cauſſa auram a ſeptemtrione frigidule ſpirantem hauſturus ex anguſti cubiculi, quod ſub tecto domus, inter Cayennæ altiſſimas referendæ, erat,

a) Neue Bemerk. u. Erfahrung. zur Bereich. der Wundarzn. 1. Th. 24. Abſchn.

b) l. c. p. 412.

c) Vid. §. 86. Hiſt. 144.

erat, feneſtra ad mare ferente aliquo tempore proſpexiſſet, haud ita multo poſt maxillæ rigorem, ſimulque deglutitionem difficiliorem, ac motum linguæ nonnihil impeditum, ſenſit. Brevi muſculi dorſi etiam obriguere. Hæcce tamen octiduo ambulandi facultatem non ademerunt. Tum vero ſupervenit emproſthotonus crebris interpolatus convulſionibus, quas conſpectus quorumdam hominum inſigniter augebat. Verumtamen lapſis 2. 3.ve menſibus a morbo liberatus eſt *a*).

d.) *Caries dentium.* Digniſſima omnino, ſi qua alia, notatu res eſt, ad quam vix ullus hactenus advertit animum, rheumaticos tempore humido ac frigido carioſorum dentium dolores, quique hos non raro comitari ſolent, genarum tumores, ſi neglecta perſpirationis promovendæ cura, qua brevi profligari utrumque ſolet, frigori humido diutius exponantur, vel perperam tractentur, tetanis producendis eſſe pares. I. A. GOERITZ *b*) de morbis A. 1729. menſe Januario Ratisbonæ epidemice graſſantibus agens, inter cetera „ odontalgiæ (ait), genarum „ tu-

---

a) l. c. p. 509.

b) v. BÜCHNER. l. c. A. 1729. Januar. Cl. 2. Art. 1. p. 10.

„ tumores, & catarrhi cum raucedine vexabant alios, ubi fotus ſicci, frictiones
„ ac eccoprotica profuere. Id genus fa-
Hiſt. 67. „ ciei tumorem etiam matrona 30.
„ annorum contraxit: cum autem in frigo-
„ re nihilominus oberraret, ne munita
„ quidem gena, triſmo correpta eſt, a
„ quo tamen internis diaphoreticis, nervinis, exterius vero inſtituta bis quotidie frictione cervicis & maxillæ articulorum balſamo antiſpaſmodico MYNSICHTI & balſamo ſuccin. liberata eſt „.

Cujusmodi quoque caſus fuiſſe videtur,
Hiſt. 68. quem TIMAEUS *a*) refert de germani ſui conjuge. Huic primo trimeſtri anni dolor dentem cavum corripuit, ſub noctem fere recrudeſcens, nunc dextram nunc lævam maxillam dire vexans, aures quoque faciemque in conſenſum trahens. Doloris acceſſum plerumque gravis anxietas & ſcotomia præceſſit. Omnes revulſiones erant irritæ, opium denti inditum, quamdiu ibi hæſit, profuit, educto illo dolor repetiit. Aprili menſe triſmus ſupervenit, cum pituitæ in pectore bullientis expectoratione ob triſmum perquam difficili, dolore faucium ac deglutitione laborioſa, nec non duro ac renitente circa dextrum maxil-

a) Epiſt. Medic. L. 1. Epiſt. 33. 34.

maxillæ articulum tumore. Eventus morbi non eſt litteris mandatus. Memorabiliorem autem SWIETENIUS *a*) vidit: „ ſa-
„ niſſima & optimæ temperiei virgo 30. *Hiſt. 69.*
„ annos nata, mane ſurgens vidit ſini-
„ ſtram faciei partem tumere, palpebram
„ ſuperiorem oculi ſiniſtri depreſſam, an-
„ gulum labiorum ejuſdem lateris ſurſum
„ retractum. Cum autem in reliquis o-
„ mnibus functionibus optime ſe habe-
„ ret, & odontalgiæ ex carioſis denti-
„ bus obnoxia ſæpius tales tumores fa-
„ ciei experta eſſet, nihil mali ſuſpicaba-
„ tur; ſed per triduum ſolitos labores
„ exercebat, quotidie per plateas ince-
„ dens. Quarta die me conſuluit, &
„ accurato examine nullam cauſſam pro-
„ catarcticam invenire potui, quamvis
„ aliquid maligni latere ſuſpicarer. Inſti-
„ tuta V. S. ſatis larga, purgans anti-
„ phlogiſticum dedi, atque incepit mi-
„ nui his factis faciei tumor, & labii
„ retractio, & palpebra ſuperior magis
„ attollebatur. Verum 6to die febris ac-
„ ceſſit, & ſimul ſentire cœpit inſolitam
„ cervicis rigiditatem, & difficulter ma-
„ xillas ab invicem diducere poterat. Al-
„ tera V. S. inſtituta, molliſſimo em-

K 5 „ pla-

a) Comment. in Aphor. BOERH. T. 2. ad §. 712.

» plaſtro cervicem, collum, maxillas te-
» gi juſſi: & emollientiſſimis decoctis
» totum corpus replere conatus fui. 7mo
» die firmiſſime cohærebant maxillæ, &
» 8vo die ad os ſacrum uſque una cum
» cervice totum dorſum obriguit; & in
» manibus pedibuſque inſtantis tetani mi-
» nas ſenſit: facies turgida & inflata ap-
» parebat, febriſque manebat eadem.
» 11ma die deltoides muſculi in utro-
» que brachio tumidi & rigidiſſimi erant,
» & mirum in abdomine motum ſe ſen-
» tire querebatur, qui, dum vel minimum
» loqueretur, ad cardiam aſcendebat. Le-
» vamen a compreſſione moderata abdo-
» minis percipiebat. Dormienti manus
» convellebantur, & oculi miro modo
» circumvolvebantur. 12mo die omnes ar-
» tus rigidi erant: 13^{tio} tenſio in nucha
» incipiebat minui: ſimul ac dormiturire
» inciperet, ſummo cum terrore evigila-
» bat, & in faucibus impedimentum ſen-
» tiebat, ac difficiliorem deglutitionem.
» Decima quarta die incepit brachium
» & collum movere, deglutitio melior
» erat, dormienti deducebantur ab invi-
» cem maxillæ, conſtrictæ denuo ſimul
» ac evigilaret. 16ta die mirum in abdo-
» mine motum percepit cum ſumma an-
» xietate, abſque dolore tamen. In in-

» guine

„ guine utroque moleſtiſſimum dolorem,
„ dilacerantem quaſi, ſenſit. Totus trun-
„ cus corporis tetano rigeſcebat; crura
„ tamen melius movebat, & maxillas
„ parum deducere poterat, vidique lin-
„ guam ſtigmatibus albis, dolentibus obſitam
„ eſſe. In eodem fere ſtatu manſit uſque ad
„ diem $19^{nam.}$ Tunc incepit febris auge-
„ ri, ſimul pulſus plenior erat, & cutis
„ ubique rorido madore perfundi. Artus
„ melius movere poterat, & maxillas
„ plus diducere; ſed truncus corporis
„ adeo rigidus manebat, ut dum in lecto
„ erecta ſedere vellet, a binis mulieri-
„ bus magna vi, & repetitis nixibus ele-
„ vari deberet, ſicque corpus antrorſum
„ flecti; quod tamen abſque dolore fie-
„ bat, licet tanta vis adhiberetur. Ap-
„ petitus inſurgebat; liquidos tamen ci-
„ bos tantum ſumere poterat, quia man-
„ ducatio adhuc moleſta erat. In ſom-
„ no tamen oculi rotabantur, & facies
„ diſtorquebatur. 20ma die pruritus per
„ totum corpus aderat, & dolor quaſi di-
„ lacerans in inguine: 21ma die febris
„ minuebatur, omniaque in melius ten-
„ dere videbantur: 22da die circa cardi-
„ am moleſtum dolorem habuit, uti &
„ in dorſo ad eandem cum cardia altitu-
„ dinem: 23^{tia} die maxillæ iterum diffi-

„ cilius

„ cilius aperiebantur, & in ſolo dextro „ ſpinæ latere rigiditatem ſenſit, & dolor ille cardiæ evanuerat. 24ta die dolor a lumbis ad humerum dextrum uſque, qui levabatur compreſſo abdomine. Febris interim ſenſim decreſcebat, uti & rigiditas in dextro ſpinæ latere; ſed ingratum ſtuporem ſentire incepit in eodem loco, qui etiam ſenſim minuebatur. 29na die febris aberat, optime appetebat; maxillas diducere poterat, & linguam exerere, quæ tamen tumida, & ad latus ulceroſa quaſi apparuit. Senſit ſimul, ac ſi numeroſiſſimi funiculi in dorſo diſſilirent, abſque ullo tamen dolore: atque quadrageſima ab initio morbi die gradus aſcendere & deſcendere potuit; poſteaque integre reſtituta a tam difficili morbo ſana & incolumis jam per triennium vixit. Toto autem morbi decurſu mens perfectiſſime conſtitit, & urina copiam ſedimenti ſatis æquabilis quotidie fere depoſuit. Poſtquam autem binis inſtitutis V. S. videram tale adeſſe febris moderamen, ut a nimio ejus impetu nullus metus eſſet, blando victu ſuſtinui vires, epiſpaſticis pedibus applicatis impetum a ſuperioribus averti, ſtrictam nimis alvum clyſmatibus

„ mol-

„ molliſſimis bis vel ter ſollicitavi, ri-
„ gidas tetano partes fomentis & lini-
„ mentis molliſſimis fovi: molliſſima de-
„ cocta, & emulſiones ſimiles dedi, ad-
„ ditis ſubinde lenioribus nervinis medi-
„ camentis, & ſub finem, cum vigiliæ
„ moleſtæ eſſent, lenibus anodynis ſo-
„ mnum conciliavi. Magnum commodum
„ dabat, quod per carioſorum hinc inde
„ dentium interſtitia potus & liquidi cibi
„ tranſire poterant, toto illo tempore,
„ quo maxillæ pertinaciter claudebantur „.
Haud vulgaris quoque caſus eſt, quem A. B. REGENHERTZ *a*) obſervavit: virgo 22 annor. ſedentariæ vitæ dedita dolores dentis cavi perſentiens venam pedis tundi ſibi jubet, ſine levamine. Poſtero die maxillæ tumore affecta, & caſu quodam ab alto territa, aphona, nil deglutire potuit: lingua tumuit immobilis, triſmus tonicus os aperire vetuit, ſpiratio erat laborioſiſſima, & biduo poſt inſpiratio prorſus erat intercepta, & geſtibus ſenſa animi indicabat: artus inferiores obriguere, & ægra velut emproſthotonum patiebatur. Remittentibus poſtea ſpaſmis injectio- *Hiſt.* 70.

a) V. ALBERTI Diſſ. de Sulph. aurat. uſu med. in arduis quibuſdam præcipue lymphat. morb. 4. Hal. Magd. 1737. §. 15. Caſ. 2. p. 52.

ctiones in fauces factæ, donec illi penitus conquieviſſent, durantibus tamen etiamnum anxietatibus ad præcordia. Datis nycthemeri ſpatio in MRæ ʒ viij. 🜍 ☉ ♁ gr. x. purpura alba copioſa una cum uberrimis catameniis erupit. Continuato remedio purpura intra aliquot dies, juxta ac linguæ tumor, dolorque faucium, & triſmus evaneſcebant. Ore jam patulo lingua cernebatur ex fuſco nigricans, ſtipulis criniformibus obſeſſa, & craſſitiem calami ſcriptorii majoris habens, quæ pedetentim una cum ſtipulis dictis minuebatur. Sed cum præmature ſeſe aeris injuriis expoſuiſſet, recidivam eſt paſſa, quam remedium prius denuo profligavit, effloreſcente rurſum purpura, perque 3 hebdomadas pertinaciter durante, ac tandem poſt largum menſium fluxum decedente. Poſtea vero ſpaſmi memorati ſæpius, at mitiores, rediere, præcurrente illis ſemper odontalgia, queis 🜍 ☉ ♁ ſemper etiam oppoſitum. Tandem ad ulteriores morbi recurſus inhibendos carioſus dens eſt evulſus, quo facto nec ſpaſmus nec purpura amplius revertit. Id unice hac in obſervatione, cetera perquam momentoſa, dolendum, quod multa (præſertim ſi ipſa obſervatoris legantur verba) inconcinna, confuſa, imo & falſa

falſa nonnulla, juvenis tum Candidatus protulerit.

CAPUT VIII.

FEBRES.

§. 51.

Febris, cujuſcunque illa ſit typi, ſi vel ob cauſſam ſuam occaſionalem, vel turbas ab ſe in corpore excitatas, nervoſum ſyſtema gravius affecerit, tetanum nonnunquam poſt ſe trahit. Monuit id jam de tetanorum cauſſis agens HIPPOCRATES *a*) „ interdum vero (inquiens) etiam ex capite cum febres ſu„ pervenerint, convulſio ſuccedit „. Et non pauca hanc in rem ſuppetunt obſervata. VALLERIOLA *b*) meminit juven- *Hiſt.* 71.
culæ 8 menſes gravidæ, cui febre continente putrida correptæ die 2do opiſthotonus cum aphonia oculiſque convulſis & immotis ſupervenit. Febre aucta 4to die abortiit, lochia fluxere: poſtridie convulſa e vita migravit. Ephemeræ in emproſthotonum terminatæ caſum alibi videbimus

a) De inter. affectionib.

b) Obſerv. Medic. L. 6. Obſ. 5.

Hiſt. 72. mus *a*). CARDANUS *b*) habuit curandum puſionem ad 17. menſes natum, qui febre decumbens die 13tia opiſthotono pre-
Hiſt. 73. henſus eſt: evaſit nihilominus. Vir circ. 40 annor. ut narrat KLAUNIG *c*) „ære „alieno obrutus Halberſtadio Vratislaviam veniens ... ſalutavit lares noſtros „die 29. Julii A. 1715. febre 3na correptus, qua trium horarum frigore „quemlibet paroxyſmum inchoans, „mox per ſeptimanam plenarias concedebat inducias. Octavo vero Auguſti „die febris continuæ atque malignæ ſævitiam in continuo ac intenſiſſimo æ„ſtu, deliriis, omnimoda virium proſtratione, lingua ſicciſſima ac aſpera &c. „repræſentabat. Eo tempore, ſc. per „10. dies ne micam quidem ciborum „aſſumſit, vixque perſuaderi potuit ad „bibendas aliquot ptiſanæ guttas, nec „mucilaginem ad humectandas fauces „admiſit, niſi violento modo aperiretur „os. Cum ferme omnia cenſerentur „deplorata, longe crudelior adhuc hoſtis „die 18va ejuſdem menſis ægrum aggreſ„ſus fuit. ... Expanſis (extenſis in re-

---

a) Vid. §. 130. Hiſt. 182.

b) De curat. admirab. curat. 15.

c) Noſocom. Charitat. hiſt. 7. p. 25. ſqq.

„ rectum) brachiis cruribuſque, quaſi „ fulmine tactum, aut gelu rigidum, ſi„ ne omni motu ac ſenſu, ſitu ſupino ja„ centem in lecto vidi, cujus os firmi„ ter erat clauſum, oculi aperti pariter„ que immoti. Iuraſſes hunc hominem „ transſmutatum fuiſſe in ſtatuam ex mar„ peſia caute attonito vultu ſculptam; „ facilius enim commoviſſes hujus partes, „ quam noſtri catocho prehenſi caput aut „ reliqua membra . . . Annotandum re„ ſtat, ſimilem paroxyſmum prima ſepti„ mana per 2. duraſſe horas, & intra „ 24 horarum ſpatium vel ſepties recur„ riſſe. Poſtquam vero capitis vertici ap„ plicare juſſi bufones in pulverem reda„ ctos, & mediante bombyce ſacculo „ interpaſſato incluſos, nec tam diu per„ ſiſtebat, nec tam ſæpe recurrebat paro„ xyſmus, quem tandem poſt 14. dies „ (non neglectis antiſpaſmodicis, liq. „ C. C. Succinato, Caſtor. &c.) peni„ tus ſuffocavi veſicatoriis fortiſſimis nu„ chæ, ſuris, brachiiſque impoſitis. Quo„ ties finiebatur . . . inſultus, toties cum „ pulſu debili tanta aderat virium debili„ tas, ut vix loqui potuerit, quam ad„ huc augebat profuſiſſimus ſudor . . . „ Præterea perpeſſorum non recordaba„ tur; alvus ſemper provocanda fuit cly-

„ ſmatibus, quæ tamen ne per momen-
„ tum quidem retinere poterat: lotium
„ vero involuntarie minxit, excepto
„ paroxyſmi tempore, quo & hujus pro-
„ fluvium plenarie intercipiebatur „. Febriles vero hi tetani cauſſas quandoque habent ſatis manifeſtas, cujuſmodi ſunt inflammationes membranarum, collectio materiæ febrilis circa nervos, extravaſationes circa eoſdem, miaſmata acriora, &c. Alias vero cauſſa eorumdem omni non oculorum modo, ſed mentis quoque aciei ſe ſubducit. Quod ad cauſſas manifeſtas attinet, earum aliquot luculenta exempla
Hiſt. 74. producam. Narrat LIVRÉ *a*) eccleſiaſticum juvenem 11mo morbi ſui die obiiſſe, poſtquam aliquot dierum tetanum univerſalem, qui meningum inflammationem ſecutus eſt, ſuſtinuit. In cadavere maculæ lividæ ac nigræ, magnæque repertæ ſunt. Huic caſui non abſimilis eſt, quem BU-
Hiſt. 75. REL *b*) obſervavit: virum 36. annor. putrida febris prehendens facta celeriter in caput metaſtaſi continuum cauſſavit coma. Quater V. S. in brachio, ter in pede, ter vena jugularis ſcuſa. Die 15to tria veſican-

a) v. Neue Samml. auſerl. Wahrnehm. aus allen Theil. der Arzneywiſs. 1. Band. p. 113.

b) ROUX l. c. T. 28. p. 29.

ſicantia applicita, ſc. ſuris ac nuchæ. Omnia incaſſum. Diei 14^{tæ} veſpere pulſus celer, debilis, lingua ſicca, obſeſſa, facies pallida, oculi nitidi, lethargus: idcirco nova & acriora locis prioribus veſicantia admota, pulſum parumper elevarunt. 15ta catharticum ſtibiatum ſumtum alvum valide movit, pulſum emendavit, minuit ſoporem, ægrum ſui compotem fecit, ac porro ope ptiſanæ e Tamarindis ſul ducta per epicraſin ſæpius alvus, exturbata vermium copia, tum lenis ſimul ſudor obortus, febrem penitus ſuſtulerunt. Æger inde omni dolore vacuus ac hilaris cibum popoſcit. Sed ex improviſo levis deglutiendi difficultas percepta ſenſim ita increvit, ut hora 10ma nec gutta liquidi tranſiret: maxillæ conſtringi cœptæ ſub meridiem os prorſus clauſerunt, muſculique capitis & colli obriguere. Hora 2da omnes toto corpore muſculi cœpere vehementiſſime convelli, præſertim capitis, a queis atrox dolor ortus; reſpiratio tamen manſit libera. Hora 3^{tia} febris largo cum ſudore, craſſiſque & coloratis urinis, emicuit. Hora 4ta æger oppreſſus cum pulſu debili. Hora 6ta validior muſculorum contractio, doloreſque majores. Hora 10ma ſpaſmus pharyngis laryngem quoque corripuit, unde ſpiratio laborioſa,

ſummæ anxietates & poſt ½ horam mors, quam imperatæ embrocationes, pediluvia (ſed hæc, quod ſymptomata augebant, præſertim dolores intolerabiles reddentia, ſæpius intermittenda erant), enemata, veſperi ſecta arteria temporalis, & nuchæ admotis cucurbitulis ſcarificatio, avertere nequiverunt. E cadaveris ore, naribus, auribuſque plurimum pus erumpens docuit occultum encephali abſceſſum e metaſtaſi febris putridæ eo facta occaſionem tetano præbuiſſe. In variolis a reſorpto pure opiſthotonum vidit ALBRECHT *a*). A miaſmate (aut quocunque alio nomine acre illud compelles) miliari in corpore adhuc deliteſcente idem accidit: ſic P. H.
Hiſt. 76. VOGEL *b*) meminit puellæ 20 annis majoris, quæ repente poſt diuturnam ſtomachi preſſionem, nauſeas, vomituſque contumaces, colica prehenſa vehementi magna cum debilitate, crebriſque lipothymiis, tandem in catalepſim (niſi tetanus fuerit) incidit, oculis apertis, ſenſibus abolitis, immobilis ac rigida. Variis externis remediis ſibi reddita, die inſequente triſmo correpta eſt, mente ſana, ſenſibus

a) Commerc. Norimb. T. 2. A. 1732. Hebd. 51. §. 3. p. 404.

b) Annal. Wratisl. Tent. 33. A 1725. Septemb. Cl. 4. Art. 11. Obſ. 1. p. 335.

ſibus non orba, ſed nonniſi liquidi pauxillo, quod ſugendo trans dentes oris cavum ſubibat, ſe ſuſtentans. Uſu nervinorum cum internorum tum externorum triſmus quidem ſenſim ceſſit, ſed exactis ita 7. diebus febris cum largo ſudore ſucceſſit, ſimulque in collo miliaria alba, & poſtea in aliis quoque corporis partibus, effloruere; nihilo tamen minus verſus 14 diem ægra exſtincta eſt. Perinde *a*) virum ad 50. annos natum triſmus prehendit ad omnia remedia contumax, quem aliquot poſt diebus vehemens opiſthotonus inſecutus eſt, per vices tanta cum violentia repetens, ut æger præ dolore ejularet. Quilibet inſultus 3. 4.ve minuta duravit, ac circ. media quaque hora revertit, uſque dum poſt aliquot dies miliaria alba erupere, quo facto inſultus fuere rariores, & eruptione puſtularum pergente, ſenſim deſiere, manente triſmo. Sed paucis poſt diebus retrogreſſis puſtulis febri vehementi ſe junxit delirium, convulſiones reverſæ ſunt, quas mors terminavit. Denique *b*) puer decennis per trimeſtre ſæpius anxietatibus, anorexia, & quan-

Hiſt. 77.

Hiſt. 78.

---

a) Ibid. Obſ. 2. p. 336.

b) Ibid. Tent. 38. A. 1726. Octob. Cl. 4. Art. 8. Obſ. 6. p. 475.

quandoque leviore lipothymia vexatus, facie jam rubente jam pallida cum ſomno imminuto, tandem mane quodam in opiſthotonum incidit cum vehementi ſyncope, ac perfecta aſphyxia, artubus frigidis, oculis apertis, rubentibus genis, ac ſudore. Poſt mediam circ. horam ſublato ingenti clamore cœpit artubus utriſque convelli. Admotis cardiacis ad ſe parumper rediit, pulſu jam, ſed vermiculari, percepto. Interea alvum urinamque tum in ſyncope, tum poſtea involuntarie reddebat. Poſtero die ſymptomata omnia parumper remiſere: die autem 7mo ſub exhauſtis viribus effloruerunt miliaria alba, pulſu manente parvo ac debili, & interdum intermittente. Somnus horæ bihoriive ſubinde obrepſit. Appetitus vero, a trimeſtri fere exiguus, quem proinde ſumma eſt conſecuta macies, in præſenti acutiſſimo malo ingens eſſe cœpit, ut omnia quæque æger avidiſſime comederet, pluſque exigeret etiam, uſque dum tandem 11ma die in agone hauſtum ultimum deglutire nequiens ore effluere ſivit. Pridie in dextra nate tuberculum ortum eſt, cujus peripheria e livido rubra, centrum vero nigricans & exulceratum, unde pauxillum humoris aquoſi prodibat, fuit: admotis licet antiſepticis, tumor ſub no-

ctem

ctem in perfectum abiit ſphacelum, ægerque poſtero die ſub vehementibus motibus epilepticis animam efflavit. Felicior hisce fuit REGENHERTZII *a*) juvenis 13. annor. qui poſt eſum cucumerum ſale conditorum vomituritionem & cardialgiam ortam remedio quodam depulſurus in vehementem ac diuturnam incurrit hypercatharſin, cui doſi pilul. polychreſtar. imminutæ ſucceſſit vomitus quinque dierum, & amplius, cum variis ſpaſmis, non niſi ſali digeſtivo poſt 5 hebdomadas cedens, relicto poſt ſe languore. Lapſis vero aliquot diebus cum ſe æger aeris injuriis expoſuiſſet, delirio & quaſi ecſtaſi, nec non emproſthotono cum ſpaſmo cynico eſt correptus, per triduum ad omnia remedia contumaci. Data cum Aqq. diapnoicar. ℥.viij. 🜂 ☉ ♁ gr. viij. vixque dimidium remedii abſumtum, cum miliaria primum rubra, tum alba in fronte & collo copioſe efflorescentia ſpaſmos memoratos ſuſtulerunt. Neglecto remediorum uſu aliquot poſt diebus retrogreſſa miliaria emproſthotonum cum ſpaſmo cynico revocarunt; ſed medicamento priore exhibito rurſus expulſa eundem profligarunt. Cumque poſtea perinde medicamenta neglectius *Hiſt. 79.*

a) l. c. Caſu 1. p. 51.

ctius ſumerentur, accidit, ut aliquoties ſpaſmus & miliaria alternis vicibus ſibi ſuccederent: donec continuato ante dicti remedii uſu poſt 9. ſeptimanas tandem utrumque malum prorſus debellatum eſt.
Hiſt. 20. Eodem modo STORCHII *a*) femina ad 30. annos nata, petechiis primum, tum miliaribus pellucidis laborans, in triſmum ac tetanum lapſa, bona medendi methodo evaſit. Præter hæc vero vidimus alibi *b*) e STÖRCKIO aliam quoque febrilis tetani cauſſam, nimirum ſanguinem in encephalo effuſum. Sed e contrario contingunt in febribus tetani, quorum cauſſæ omnino abſtruſæ ſunt, uti qui in febribus intermittentibus ſeu malignis, quales F. C. MEDICUS *c*) deſcripſit, ſeu larvatis, qualem STÖRCK *d*) curandam habuit, ſeu quacunque ratione anomalis factis, qualis LOEWII *e*) fuiſſe videtur, obſervantur: cui rei illſtrandæ inſervit ſequens STÖRCKII *f*)
Hiſt. 21. hiſtoria: „ vir 34 annor. ex vehementi „ ira in febrem acutam incidit, vires mox „ proſtratæ ſunt, & peſſima ſymptoma- „ ta

a) Sechſt. Medic. Iahrgang. 1728. Mart. art. 3. p. 436. ſqq.
b) Vid. §. 32. *c*) H. 19.
c) Vid. §. 36.
d) Vid. §. 114. n. 2. Hiſtor. 161.
e) Vid. §. 4. A. n. 2. H. 6.
f) Ann. Med. 2. p. 98. ſq.

„ ta ſupervenerunt, 3^{tio} morbi diè ten-
„ dines totius corporis ſubſilierunt, re-
„ ſpiratio fuit peſſima, pulſus exiguus,
„ intermittens, & cutis continuo, largo,
„ & vapido ſudore maduit. Omnis ge-
„ neris remedia interna & externa ſum-
„ ma cum ſollicitudine exhibita nil pror-
„ ſus levaminis attulerunt, & ſub finem
„ 6 diei æger ſubito palluit, tetano uni-
„ verſali correptus eſt, peſſimum hoc
„ ſymptoma ultra horam duravit. Triſte
„ erat videre hanc ſtatuam immobilem;
„ remittente tetano diriſſimæ convulſiones
„ ſecutæ ſunt, quibus æger ſuccubuit.
„ Sectione anatomica, quamvis accura-
„ tiſſime facta, nil potuit inveniri, in
„ quod cauſſam horum ſymptomatum &
„ mortis licuiſſet transferre „. Num id
genus tetani ſolis nervorum turbis a ſe-
cretione ſpirituum turbata, an ſubtiliſſimæ
cuidam acrimoniæ nervos vellicanti tri-
buendi ſunt?

CAPUT IX.

CONTUSIO, LUXATIO.

§. 52.

Contusio vel tanta eſt, ut ſimul externas partes convulneret, vel his illæſis quidem vaſa ſub iis lædit, ac ſanguinis effuſionem cauſſat, vel neutro horum effecto ſolis nervis aliqua in parte vim infert: viſi autem ſunt in quolibet horum modorum contuſionem tetani conſequi. Nos in præſenti tantum binos poſteriores hic aſſumemus, de primo vero inter vulnera amplior erit agendi locus.
Hiſt. 12. Vir 53. annor. ut refert F. ZIEGLER *a*), a tribus juvenibus, fuſtibus in tempora, collum, brachia, dorſumque crebro illiſis, peſſime habitus, domi vomuit, inde dormiit. Poſtero mane dolores, debilitas, febris, ſopor, aphonia, triſmus cum ſpuma ex ore pendula, ægrum ſui conſcium tenuerunt. Poſt decem a verberibus inflictis horas vena brachii dextri ſecta, data MR[a] reſolv. cum liq. CC. ſuccin. Bihorio poſt os aperuit, loqui cœpit, vires re-

a) Commerc. Norimb. T. 4. An. 1734. Hebd. 7. P. 50. ſq.

reſumſit, ubertim per omnia emunctoria evacuatio facta: ſternutavit, tuſſi grumos ſanguinis cum muco rejecit, &c. & intra octiduum legitima curatione convaluit. LUPINUS *a*) narrat binos litigaſſe fratres, quorum natu major alterius duodennis cervicem manu dorſumque graviter contudit. Poſt 6 horas faucium dolor, ac tenſio nuchæ occepit, die 4ta tetanus cum triſmo, cervicis dolore, difficili deglutitione, cordiſque palpitatione, quæ crebris motibus ſpaſtico-tenſivis præibat, pulſu celeri, illæſis tamen ſenſibus ac voce, ſupervenit. Die 6ta febris major, lingua cruentata, tumor abdominis & in lævo capitis latere. Die 8vo omnia pene præter febrim ſymptomata remiſere. Nocte Diei 9næ uſque ad lucem delirium, & mane diei 10mæ æger ſui compos ad horam 11mam exſpiravit. Qui caſus pulcre confirmat verba ARETAEI dicentis: „ & ab aliquo vehementi cervicis „ ictu nonnulli convelluntur „. Perinde SCHMUCKERI obſervationem jam alias *b*) retuli de militibus tetano in Bohemia Moraviaque ſæpenumero correptis, qui a globis bellicis in lumbos aut artus impactis *Hiſt.* 33.

a) Hiſtoriæ morbor. difficilior. p. 49. ſqq.

b) Vid. §. 49. a.) Hiſt. 60.

ctis non ſolum vulnus nullum, ſed nec maculas in locis contuſis contraxere. Notandus autem hic venit & alius contuſionum ſine vulnere factarum effectus, qui perinde tetanum poſt ſe trahit, nimirum dum a *capite valide contuſo* vel vaſa encephali ſubito infarctu laxiora reddita ſanguinem aggeſtum lentius, quam par eſt, promovendo viſcera animalia comprimunt, ſicque ſyſtema nervoſum in varias turbas, inter quas tetanus, cient, velut in ægro S. G. VOGELII *a*) evenerat, vel vero inflammatio, ex eaque abſceſſus aut gangræna, producitur, qualem caſum E. TYSON *b*), & COITERO *c*) videre contigit, vel denique ruptis vaſis aut ſanguis aut alius humor ibidem effunditur.

§. 53.

LUXATIO perinde vel cum vulnere eſt, vel cum contuſione citra vulnus, vel denique ſine utroque, quod oppido rarum, atque dubium etiam, utrum a poſtrema hac unquam tetanus viſus ſit? Aſt ubi luxatio a valida contuſione, ſeu hæc

incru,

a) Vid. §. 132. d.) H. 186.

b) V. LESKE Abhandl. aus d. Phil. Tranſact. 1. Th. n. 9. p. 11.

c) BONET. Sepulchr. Anat. L. 4. Sect. 3. Obſ. 8. §. 5. p. 1581. ſq.

incruenta ſit, ſeu cum vulnere, pariter merito ambigas, cuinam tetanum, ſi conſequatur, tribuere, luxationi ne an contuſioni, oporteat? Luxationi quidem favere videri poſſet obſervatio apud HIPPOCRATEM *a*), etenim „ TELEPHANES HARPALI ex liberta filius luxationem in pollice deorſum accepit, unde inflammatio & vehemens dolor inſecutus eſt, quo remiſſo in agrum profectus eſt; unde rediens ex lumbis doluit, lavit, ſub noctem maxillæ cohærebant, & opiſthotonos aderat; ſputum ſpumans ægre dentes pertranſibat; 3^tio^ die mortuus eſt „. Nulla hic ſane aut vulneris aut contuſionis, ſed luxationis mentio. Nulla profecto hic, at alibi *b*), ubi eandem hiſtoriam verbis prorſus iiſdem repetit, niſi quod pro luxatione plagam in pollice pedis deorſum acceptam dicat. Unde colligitur, aut locum priorem eſſe mendoſum, aut luxationem, ſi vera adfuit, a plaga illata fuiſſe effectam. Quod enim ad prius attinet, facile ϛϱέμμα (luxatio) pro τύμμα (plaga) incuria librarii manu in textum irrepere potuit. Hinc etiam non eſt condonandus error LINDENIO, Hiſt. 14.

qui,

a) Epidem. L. 5. n. 75. *b*) Ibid. L. 7. n. 45.

qui familiari ſibi audacia, quam ei paſſim TRILLERUS *a*) exprobrat, in poſteriore illo COI loco vocem τύμμα vertit in luxationem, haud alia procul dubio de cauſſa, quam ut locus uterque iisdem conſtaret verbis. Interea cum enarrata HIPPOCRATIS hiſtoria multum convenit illa, quam I. A. GOERITZ Annalibus *Hiſt. 15.* Wratislaw. *b*) ſuppeditavit: puella e lapſu extremam pollicis phalangem luxavit, admodumque contudit, ut eodem adhuc die phlegmone ſupervenerit. Interea repoſita parte luxata mitigatus dolor felicem eventum ſpondebat, ægra quotidie chirurgi ædes deligationis ergo adeunte. At die 10mo febriles motus ac præcordiorum oppreſſiones aderant, queis die 11ma ſupervenit maxillæ tetanus cum convulſionibus, nec deſiit prius, quam ægra die 13ta convulſa fatis ceſſerit.

CA-

a) Opuſc. Medic. Philolog.

b) Tent. 13. A. 1720. Semptemb. Cl. 4. Art. 10. p. 322.

CAPUT X.

VULNERA.

§. 54.

VULNERA cum ſimplicia, tum complicata, punctim, cæſim, & quacunque alia ratione inflicta, ubique gentium, præſertim tamen in Indiis, teſte BONTIO *a*), BISSET *b*), LIND *c*), &c. tetanos producere viſa ſunt; maxime omnium vero vulnera artuum ei ſunt obnoxia: & cum alia vulnera non niſi ubi jam pus dedere, vel plane conſanationi ſunt proxima, ſpaſmum hunc inducant, ſola facta

1.) *Punctim* vulnera eum celerius multo nonnunquam accerſunt, præſertim infelix V. S. BENIVENIUS *d*) narrat hominem a nervo in V. S. læſo correptum tetano intra paucos dies obiiſſe: quod ipſum DOLAEUS *e*) quoque refert, & in ægro apud DELAROCHE *f*) etiam, ſed meliore eventu, accidiſſe alibi

a) l. c.
b) l. c.
c) l. c.
d) De abditis Cap. 48.
e) Obſerv. 98. V. FOREST. Chir. Obſ. L. 6. Obſ. 50.
f) Vid. §. 136. Hiſt. 193.

bi dicetur, quemadmodum in MANGETI *a*) juvene quoque vidimus. Tanto autem frequentius profundior punctura morbum poſt ſe trahit. Apud HIPPO-

Hiſt. 17. CRATEM *b*) „ qui jaculo acuto in poſteriorem partem paulo infra cervicem „ ſauciatus eſt, vulnus quidem accepit „ aſpectu minime effatu dignum; neque „ enim alte penetrabat. Non longe autem poſtea ſublato jaculo diſtendebatur „ in poſteriora contractus, velut qui in „ ſcapulas rigeſcunt, & poſteriorum partium diſtentione tentantur, maxillæque „ conſtrictæ erant. Siquid etiam humidi ore contineret, & devorare tentaret, in nares regerebatur, ac in reliquis ſtatim deterius habebat, alteroque die mortuus eſt. „ Præſertim autem artus compuncti tetanum cient. AMA-

Hiſt. 18. TUS *c*) narrat, viri 45. annor. obeſi plantæ in via clavum infixum fuiſſe, qui die 8vo recte ſe valere jam ratus conſueta omnia exercuit, vinum bibit, uxori concubuit, domo prodivit: at reverſo dolor in loco puncto accidit, noctuque opiſthotono cum triſmo, cuneolis ægre ſuperando, correptus eſt. Cum egereret, non

a) Vid. §. 19. Hiſt. 17.
b) Epidem L. 5. n. 47.
c) Curat. Medic. Cent. 7. cur. 66.

non rite plicabatur, dolebant fauces & maxillæ, planta vero haud amplius, anxius erat; ſed nec deglutitio, nec loquela læſa, nec febris aderat. Injectis enematis; inunctisque ac fotis oleo vulp. lil. chamæm. partibus dolentibus, tum cathartico dato poſtero die, triſmus remiſit: at veſperi ſaltus in corpore per vices oborti, ac die inſequente mors. Idem & alteri ab eadem cauſſa accidiſſe refert, cui vulnus indiſcrete brevi clauſum fuerat. MATERNI de CILANO *a*) mer- *Hiſt.* 89.
cenarii caſum adducit, qui ferreum clavum inter gradiendum in pedis dextri plantam adegit. Dolor continuo atrox, opio ne leniendus quidem; monſtroſusque pedis ac tibiæ tumor, tum opiſthotonus continens cum quotidianis convulſionibus, alvo clauſa, urinaque parciſſima, eſt conſecutus, & æger die 26tâ exſpiravit. Cumque opiſthotonos ne a morte quidem cadaver dimiſerit, iſti altiorem ſolito tumbam parare neceſſum erat. Huc etiam referendus eſt caſus murarii, quem litteris mandavit CLEPHANE *b*). Porro *c*) juveni unde- *Hiſt.* 90.
viginti annos nato ſegmen ligni trans calce-

a) Nov. Act. Nat. Cur. T. 1. Obſ. 6.

b) Vid. §. 124. Hiſt. 170.

c) Annal. Wrat. Tent. 6. A. 1718. Novembr. Cl. 4. Art. 13. n. 3. p. 1896.

ceum in plantam pedis, prope pollicem, penetravit, unde illud eductum quidem, ac vulnus applicatis variis conſanatum, verum ſupervenit cruris totius ſubſultus per dorſum in nucham uſque propagatus, quam ſimul ac attigit, mox opiſthotonum accivit, qui toties graviorque ſemper, adfuit, quoties caput retrotractum ab adſtantibus ad ſitum naturalem (quod ſummo cum dolore ſimul fiebat) reducebatur. Id cum 9. dies ita duraſſet, morbo ſemper creſcente, tandem accedentibus convulſionibus æger vitam cum morte commutavit. Simillimum pene caſum KUNDMANNUS *a*) narrat: ligni ſegmen cuipiam trajecto calceo plantam pedis ſubivit; vulnus quidem aliquot poſt diebus utcunque coaleſcebat, verum delirium cum ſummo calore interno, emproſthotonuſque caput ſæpe ad genua uſque adducens cum tetano maxillæ ſucceſſit, queis die 3tio inter obortas convulſiones mors finem impoſuit. Atque cum his ejuſdem tenoris eſt obſervatio ZANETTII *b*). Hæc de vulneribus punctim factis. Nunc, quæ

Hiſt. 91.

2.)

a) Ibid. Tent. 22. A. 1722. Decemb. Cl. 4 Art. 11. p. 689.

b) Vid. §. 117. Hiſt. 165.

2.) *Cæſim* infliguntur, paucis videnda. Præter CARTERUM *a*), FARRque *b*), ſuis memorandos locis, PANAROLUS *c*) etiam narrat juvenem enſe in talo ſupra os calcanei vulnerata chorda HIPPOCR. opiſthotono periiſſe. *Hiſt.* 92. Apud BILFINGERUM *d*) „ chirurgus in laminam cupream acutam lapſus, qua arteria brachialis diſciſſa, & ingens hæmorrhagia ſubſecuta eſt, undecimo die triſmo, & ante mortem paucis horis tetano correptus obiit „. *Hiſt.* 93. Et PACHEQUUS *e*) „ in obſidione Monſpelienſi (inquit) multi milites in manibus præcipue ſauciati convulſione muſculorum temporalium intra aliquot dies corripiebantur, & omnes moriebantur, ut vidimus nos. Dux quidam in pugna . . . ſauciatus fuit in femore, vulnuſque ad perioſtium uſque penetravit. Convulſio ſucceſſit in partibus femori vicinis, & ſenſim ad crotaphitas muſculos uſque aſcendit, mortemque invexit „. *Hiſt.* 94. Huc jam *operationes chirurgicæ*, quas non

M 2 raro

a) Vid. §. 125. Hiſt. 176.
b) Vid. §. 124 Hiſt. 173.
c) Obſ. Med. Pentecoſt. 2. Obſ. 15. p. 79.
d) l. c. Sect. 6. §. 7. p. 89.
e) In RIVERII Obſerv. communic. 23.

raro unum aliquod tetanorum genus conſequitur, ſunt referendæ. Apud COUM *a*)
Hiſt. 95. „ Lariſſæ SCAMANDER coxendicem ſideratam habuit, & os diu diſparatum. Hic poſt magnam ſectionem, etiam ad os ipſum, denique inuſtus eſt, ac tum 12mo poſt ſectionem die convulſio cœpit, ac magis detinuit. Convulſione autem tentabatur crus ipſum ad latera uſque, quæ ad alteram etiam partem perveniebat. Crus autem contrahebatur & extendebatur, ceteraque membra movebat, & maxillæ riguerunt. Hic 8vo poſt convulſionis inſultum die convulſione periit. Utriculis vero concalfactis ex ervo ad curationem totum corpus fovebatur, & ex infuſo per clyſterem tandem nonnihil ſtercoris ſubit. Medicamentum affatim ſinceram bilem deturbans ebibit, & inſuper aliud devoravit. At ſeceſſit quidem, nihil autem ex devorato medicamento levamenti ſenſit: ſomnus parvus venit. Rurſuſque epoto ſub veſperam valido medicamento affatim ſinceram bilem deturbante ſub ortum ſolis mortuus eſt. Atque diutius morbum ſufferre potuiſſet, ni vis medica-

„ men-

a) Epidem. L. 5. n. 15.

„ menti obſtitiſſet „. Idem poſt *herniotomiam* accidit *a*): ad Ratisbonam aliquot in pueris operatio hæc optimo cum ſucceſſu inſtituta eſt ; unus autem illorum octennis, cum tres jam hebdomades ab operatione bene tranſegiſſet, nudis pedibus oberrando, hauſtumque cereviſiæ frigidæ ſumendo, triſmum ſibi & opiſthotonum lethalem cauſſavit. Binos hujusmodi caſus GOCKELIUS quoque obſervavit, etenim *b*) ruſticus duodecim poſt herniotomiam dextere peractam, vulnusque rite tractatum diebus bene habens, ex improviſo deinde ſuperveniente maxillæ tetano ac emproſthotono, ad omnia remedia rebelli, occubuit. Deinde *c*) civis Ulmenſis perinde lapſis ab herniotomia rite facta 12 diebus in ſpaſmos maxillæ & abdominis cum ſynocho incidit. Injectum continuo emolliens & carminans enema alvum aliquoties cum levamine movit. Duabus poſt enema horis ſanguis ad ℥iij. aut jv. e mediana detractus, idemque aliquot poſt diebus iteratum. Per triduum m. & v. dabatur ♁ ceph. D. MICH. ℈j. ex aq. Ceraſ. nigr. Collo

Hiſt. 96.

Hiſt. 97.

Hiſt. 98.

M 3 cata-

a) Annal. Wratisl. Tent. 7. A. 1719. Januar. Cl. 4. Art. 13. §. 2. p. 93.

b) Miſcell. Nat. Cur. Dec. 3. Ann. 5. Obſ. 37.

c) Ibidem Obſ. 38.

cataplaſma calidum ex emollient. & nervinis admotum: ſpina dorſi, & venter, nervinis perunctus. Obortis anxietatibus, tenſioni ventriculi, ac debilitati virium vinum cydoniatum medebatur. Poſtea fluxus hæmorrhoidum ſecutus ſymptomata ſuſtulit, quæ poſt 4 dies cum alvi obſtructione reverſa injectum emolliens, junctis catharticis ac nervinis, enema, & poſt horam ſecta mediana, ac data nervina & diaphoretica, rurſus fugarunt. Curationi demum finem catharticum impoſuit. Perinde & *amputationes* eundem ſibi adſciſcunt, ut HUCKII *a*) & PARAEI *b*) caſus documento ſunt. Præterea LIND *c*) teſtatur e ſex amputationem paſſis quinque triſmo correptos interiiſſe. BISSET *d*) quo-
Hiſt. 99. que narrat juveni poſt tibiam ob ingentem ejus comminutionem ſub genu amputatam die 4to ſuperveniſſe maxillæ tetanum, citra arctiſſimam tamen oris clauſuram, cum perpetuo membri amputationem paſſi tremore, accedentibus etiam levioribus motibus convulſivis, qui die 5to remiſere, ac die quinto decimo ſymptomata omnia, ſine ullo opii uſu, ægrum reliquerunt. Denique *tumorum exſtirpa-*

a) Vid. §. 124. H. 172.
b) Vid. §. 149. H. 210.
c) l. c. p. 244.
d) l. c.

pationes. BOERHAAVE *a*) matronæ meminit, e mœrore in mammæ cancrum lapſæ, qui, quoad liber erat, dexterrime eſt exſtirpatus. Poſtea chirurgus parvum etiamnum ſtigma ſuper muſculo pectorali conſpicatus, ne inde cancer reſurgeret, cultro illud quoque exſcidit. Omnibus feliciſſime procedentibus, ecce poſt 14 dies triſmus primum, tum univerſalis tetanus advenit. Nec V. S. ad animi deliquium facta, nec diæta emollientiſſima præſcripta lethum inde avertere potuit. *Hiſt.* 100.

3.) *Contuſa*, *lacera*. Apud HILDANUM *b*) puer decennis equo excuſſus lævum capitis latus convulneravit, cum cutis a ſutura recta verſus aurem ad 3 digitos ſeparatione. Cute in locum repoſita vulnus quatriduo neglectum, dein orto dolore a medicaſtra decocto traumatico fotum plus tumuit ex inflammatione, doluitque. Poſt aliquot dies tantus ſupervenit triſmus, maxillam inferiorem ſimul ſanum in latus magis retrahens, ut & ſpeculo os ægre diduci poſſet, & bacilli lignei ſolidi, queis inter dentes poſitis os apertum tenendum erat, a violente coeuntibus maxillis confringerentur. Impedi- *Hiſt.* 101.

a) Prælect. Academ. de morb. nervor. T. 1. p. 70.

b) Obſ. & Cur. Med. Chir. Cent. 5. Obſ. 9.

ta ſic nutritione, labentibus viribus, morbus crevit, ac tandem dolentiſſimus tetanus acceſſit, alvo urinaque involuntarie ſecedentibus. Quo in ſtatu cum æger 8. aut 10 dies exegiſſet, ſexto vigeſimo morbi die exſpiravit. In STORCHIO *a*)
Hiſt. 102. miles commilitonis caput amphora teſtacea bis uſque adeo contudit, ut iſte titubans procumberet. Brevi tamen ſe colligens domum rediit; dormivit. Vulnera 4. aderant, ſine ullo tamen ſymptomate: at die 3tio a meridie æger ex improviſo inhorruit, poſteaque caluit fere ad delirium, cum cephalalgia, triſmo, ac lævæ buccæ tumore. Nihilominus tamen ju-
Hiſt. 103. ſta medicatione convaluit. Ruricola, narrante ALBRECHTO *b*), ſclopum pyrio pulvere chartaqne onuſtum in adſtanſtis lævum oculum explodit, ſuique impotem humi ſternit, qui ubi ad ſe rediit, domum delatus tota nocte negligitur: oculus interea inflammatione graviſſima intumuit. Poſtero die accitus chirurgus adhibitis remediis tumorem omnem ſenſim diſcuſſit, ſub veſperam 7mi diei æger deterius habuit, & die inſequente aphonus cum

---

a) Sechſt. Medic. Jahrgang. 1728. Januar: Art. 5. n. 5. p. 344.

b) Nov. Act. Nat. Cur. T. 1. Obſ. 53.

cum tetano maxillæ, ac ſpaſmo cynico lateris dextri, eſt repertus. Os arctiſſime clauſum nulla remedia admiſit; maſſeteres ac temporales muſculi tumidi duriſſimique erant; ex declinato oris latere dextro ingens copia ſalivæ effluebat; reſpiratio per vices anxia ac difficillima, ob muſculorum thoracis ſpaſmum, ſæpius repetentem, quo remittente inſignis ſalivæ copia trans clauſos dentes ad 2. pedum intervallum cum ſibilo involuntarie explodebatur. Artus quoque cum ſuperiores, tum inferiores per intervalla motus convulſivi vexabant. Oculus dexter extrorſum diſtortus erat. Alvus a triduo nulla. Injectum enema, dein V. S. in pede facta, poſtea eodem die mors. Bulbus oculi inſpectus corneam pertuſam exhibuit, humores tres deerant; cetera toto corpore nil vitii repertum. In BINNINGERO a) vinitor ad 50, annos natus, cum dolium 9 tinnarum muſto plenum, fractis currus ſpondis, caſurum ſuſtinere vellet, cadens muſculos complexos colli ad occiput tranſverſim vulneravit. Vulnus cum a chirurgo ut leve tractaretur, a die 7ma ad 11mam nil deglutire valuit æger, 11ma die dolor ac tenſio col- *Hiſt.* 104.

M 5 li,

a) Obſ. & Cur. Med. Cent. 4. Obſ. 75.

li, 12ma tetanus cum febre continua adfuit. Die altero fit V. S. daturque clyſma ac balanus, quo neutro excreto æger die 18va ad veſperam convulſus obiit. Similem caſum iſti retulit ZANETTI *a*). Sed hiſce longe plures ſunt, qui ad *artuum vulnera* pertinent.
Hiſt. 105. Senex murarius apud HOECHSTETTERUM *b*) per ſcalas e primo tabulato in brachium lapſus illud admodum contudit cum inſigni ad cubiti articulum vulnere, cui triſmus duarum hebdomadum ſe junxit, minime tamen lethalis. Apud HIPPOCRATEM *c*) „ magnæ navis præfe-
Hiſt. 106. „ cto anchora manus dextræ indicem & „ os infernum colliſit, ex quo inflammatio, ſideratio, & febris ſucceſſit. Quo „ modice per alvum repurgato calores „ & dolores leves fuerunt, ex digito aliquid decidit. Poſt 7. diem ſanies laudabilis exibat, ac deinde ſe non poſſe „ omnia lingua explicare dixit. Prædictio facta eſt, opiſthotonum adventare, & ad id conferebant maxillæ cohærentes, deinde ad collum affixæ; 3tio „ vero die totius corporis in poſteriora „ convulſione cum ſudore tentabatur; 6to

a) Vid. §. 117. Hiſt. 165.
b) l. c. Schol. p. 614.
c) Epidem. L. 5. n. 74. & L. 7. n. 44.

„ 6to poſt prædictionem die mortuus „ eſt „. Similem hiſtoriam narrat PLENCK *a*) : militi ſclopus exploſus in manu diſſiliens oſſa metacarpi, ac phalanges digiti tertii & quarti, ſuis in articulis aliquatenus diſcerpſit. Vulnus fece vini & aqua ad ſextum decimum usque diem fotum, factis numeroſis V. S. exhibitiſque remediis antiphlogiſticis, nec nimium inflammatum eſt, nec pus malum poſtea præbuit, nec pravis ſymptomatis ſtipabatur: idcirco ad uſum aquæ vulnerariæ jam deventum eſt. Die 20. veſpere cœpit faucium ac maxillæ tenſionem perſentiſcere: poſtero die triſmus aderat, & colli rigor caput in obliquum detorſit. Non admiſſa digitorum ablatione ſuperveniens tetanus, convulſionibus interdum interpolatus, ægrum 24ta die interemit. Feliciores autem eodem in caſu fuerunt ægri apud WHITE *b*) ac SILVESTRUM *c*). Perinde ſe res in artubus inferioribus habet: nauta undequadraginta annos natus, ut refert F. C. WINSLOW *d*), femur fregit; curam neglexit. In-

Hiſt. 107.

Hiſt. 108.

a) Samml. von Beobacht, über einige Gegenſtände der Wundarzney. 2. Theil. 6. Art. p. 156. ſq.

b) Vid. §. 164. Hiſt. 223.

c) Ibid. Hiſtor. 222.

d) Collectan. Havn. Vol. 1. Obſ. 35. p. 304.

Ingraveſcente malo die 10ma morbi auxilium poſcenti fertur: unde omnia lætiora. At die 23^{tia} morbi citra cauſſam manifeſtam gravis febris inflammatoria emicuit, cui cura antiphlogiſtica oppoſita, unde calor minor, molliorque pulſus: mane altero tamen delirium, nauſeæ, alvus involuntaria, dorſique tetanus, advenere. Fit V. S. datur camphora; ſed tetanus nihilominus collum porro ac maxillam prehendit, unde & loquela & deglutitio ſublata. Datum itaque omni trihorio Laudanum ad gtt. XXV. in pauxillo aquæ ſtillatitiæ, orique ita inſtillatum, ut liquor utrinque ad dentium ſeriem delabens hiatu invento in os penetraret, ſimulque aliquoties cum enematis injectum. Unde intra nycthemerum tetano ſublato fractura poſtea percurata eſt. Apud HOECHSTETTE-
Hiſt. 109. RUM *a*) miles exploſo ſclopo ruricolæ crus fregit: die 7mo opiſthotonos, in tetanum die 8vo verſus, ægrum die 9na mente illæſa jugulavit. MONRO *b*) perinde opiſthotoni fracto cruri cum vulnere ſupervenientis meminit. Plura hujus loci exempla in PLENCKIO eſt videre:
Hiſt. 110. ſic *c*) vir 47. annor. e tabulato lapſus tibi-

a) l. c. Caſu 6.
b) Vid. §. 136. Hiſt. 192.
c) l. c. p. 158. ſq.

tibiam ſiniſtram fregit cum vulnere in pedis articulatione, ex quo malleolus internus proſtabat. Oſſi, quoad ejus fieri potuit, unito fotus faſciæque admotæ. Die 11mo ſupervenit faucium dolor, 12mo triſmus, ac 9 poſt diebus mors, laudano licet exhibito. Porro *a*) militi glande plumbea vulnus in genu dextro inflictum, inſigniter tumens ac inflammatum, die 5to rigorem colli accivit. Detractus ſæpenumero ſanguis, emollientia fomenta applicata, ac biduo exhibitum opium cum nitro, nil profuere, 3tio die opiſthotonus advenit. Ægro amputationem deprecante vulnus utrinque cum in longum tum tranſverſim dilatatum, applicatus balſ. Peruv. & cataplaſmata emollientia, indiesque mane ac veſperi opii gr. j. datum: nihilominus æger 4to abhinc die exſtinctus eſt. Ab eodem prorſus vulnere jam perſanato aliquo poſt tempore tetanum ſuperveniſſe lethalem obſervavit MEDERER *b*). Idem etiam fatum expertus eſt alter a vulnere articuli tibiam lævam ac tarſum jungentis, globo inflicti *c*). Perinde alium, ubi tractato imprudenter ſclopo tarſum ſibi ac metatarſum vulneraſſet, opi-

Hiſt. 111.
Hiſt. 112.
Hiſt. 113.
Hiſt. 114.

a) Ibid. p. 160.
b) Ibid. p. 200.
c) Ibid. p. 161.

opiſthotono periiſſe PANAROLUS *a*) refert.
Hiſt. 115. In MORGAGNIO *b*) „ adoleſcenti annos nato ad duodeviginti plauſtri „ rota ſuper imum fere ſiniſtrum calcaneum ducta nullam aliam attuliſſe noxam „ videbatur, niſi quod communia avulſerat integumenta. Dum levis ad ſpeciem noxæ curatio feliciter procederet, „ ecce poſt dies aliquot collum & dorſum rigida fiunt, ut quaſi tetani quodam genere correptus artus quidem „ movere poſſet, collum autem dorſumque non poſſet. Huc illud acceſſit, ut „ per intervalla vehementiſſimis totius „ corporis tremoribus concuteretur. Quibus omnibus ad 20 & amplius dies ad „ hunc modum, ſana ſemper mente, „ perſiſtentibus, cum lumbricum teretem „ vomuiſſet, creſcente ſenſim ſtertore „ vivere deſiit. Pes ſub veſperam inſpectus diei ejuſdem, quo erat mortuus, calcaneum ferme jam ſanatum „ oſtendit „ &c. Inter memorabiles
Hiſt. 116. etiam pertinet BILGUERI *c*) caſus: militi in pugna ACHILLIS tendo proxime calcem vi globi diſruptus eſt adeo, ut uni-

a) l. c.
b) l. c. Epiſt. 54. n. 49.

c) Chirurg. Wahrnehm. 5. Abtheil. 1. Wahrn. p. 489. ſqq.

uniri haud amplius poſſet. Ad tres hebdomadas ejus extremum infra ſupremum vulneris labium pollicis longitudine nudum, ac omnino diſcerptum prominebat, tum quod partes molles globus circa illum abſtulerit, tum etiam quod ſe ipſe ſub tibiæ muſculos non ſubduxerit. De imo autem tendinis extremo videre erat nihil. Quantumvis autem ſollicita cautela ac celeritas, præprimis per principia, in deligationibus adhiberentur, nihilo tamen minus, quamdiu nudatus manſit tendo, ſub qualibet deligatione æger vehementiſſime convellebatur; donec proſtans illud tendinis extremum firmo fili vinculo conſtrictum eſt: quo facto convulſiones deſiere. Extremum ligatum brevi poſt ſeparabatur, & poſtquam etiam faſcia comprimens extremo ſuperiori tendinis trium tibiæ muſculorum reſiduo circumducta, atque ſic his ipſis tribus muſculis in eorum tendineſcente principio punctum fixum neceſſarium procuratum eſt, vulnus intra ſex hebdomadas uſque eo coaluit, ut præter externam cicatricem amplius deſideraretur nihil. Dum ſic proxima conſanatio exſpectaretur, malum novum ex improviſo obortum eſt. Æger vicibus aliquot febriles motus experiebatur,

queis

queis muſculorum faciei diſtorſio ſupervenit: hanc porro tantus excepit maxillæ tetanus, ut ſumma ope os haud plus diduci poſſet, quam neceſſum erat ad potulenti remediorumque quidpiam inſtillandum. Febris impræſentiarum aberat; æger appetebat, nec quidquam, niſi famem & alvum obſtructam, eſt conqueſtus. Eapropter enemata injiciebantur. Tetani cauſſa in vulnere ſollicite quæſita, nulla reperta eſt: nullum oſſis aut tibiæ aut calcanei fragmentum, nullam tendinis partem nudam detegere erat integrum, nec ulla remedia acria vulneri fuere indita, neque etiam de ullis in vulnere doloribus æger querebatur, quod fere in integrum & carne plenum erat, & cute tectum, demta exigua areola cute adhuc deſtituta. Idcirco præſidia in uſum vocata ſunt, quæ communis experientia in tetano utilia docuit, videlicet, præter veſicantia utrique brachio admota, interius dabatur L. L. SYDENH. idemque cum oleo Hypericonis, & cataplaſma emolliens tum vulneri, tum etiam convulſæ maxillæ eſt applicatum. Paucis poſt diebus maxillam tetanus reliquit: areola in vulnere, huc uſque aperta, demum coaluit, ac æger exactis 4. hebdomadis commode rurſus ambulans noſocomio deceſſit. Di-

giti

giti pedum reſtant. Narrat PLENCK a) viro ad 50 annos nato ſaxum in pollicem pedis dextri cadens primum mediumque ejus os ita colliſiſſe, ut extra ligamenta proſtaret. Vulnere rite licet tractato æger 7ma die cervicis rigorem, 8va triſmum incurrit. Vulneri oleum terebinth. ægro Laudanum uſurpatum. Die 3tia collum dorſumque obriguit, & 8va abhinc die æger vivere deſiit. Hiſt. 117.

§. 55.

Ad lacera vero vulnera referendi ſunt *tetani poſt abortum*, juſtumve *partum* in mobilioribus ac imprimis hyſtericis feminis obſervati. ARETAEUS b) quidem ex abortu tantum eosdem naſci aſſeruit; verum & poſt legitimum partum quandoque occurrunt. Narrat WAHRENDORFF c) puerperam poſt difficilem partum, lochiis Hiſt. 118. uſu pilul. Becher. rite fluentibus, 9no die poſt prægreſſam iram moleſto primum capitis ac dentium dolore, tum die poſtero arctiſſimo triſmo tonico fuiſſe prehenſam, & 11mo a partu die accedentibus motibus convulſivis exſpiraſſe. Ita & FORE-

a) l. c. p. 157.
b) l. c.
c) Annal. Wratisl. Tent. 38. A. 1726. Decemb. Cl. 2. Art. 2. p. 632.

Hiſt. 119. STI *a*) puerpera 6 t a partu die, lochiis rite fluentibus, opiſthotono remittente continuo correpta, die 4to, quo
o febris vehemens coorta eſt, vitam finivit.

§. 56.

Ex omnibus autem hactenus in medium allatis obſervationibus rite expenſis liquido patet, tetanos non a magnis magis, quam parvis, imo contemnendis etiam vulneribus eſſe pertimeſcendos, & pari quidem cum periculo; neque id mirum: „ ex cujusvis enim generis vulne„ ribus mori homines contingit „ ait HIPPOCRATES *b*), id quod medicinam facientibus ſummæ ſemper fuit admirationi. Cujus rei rationem cum reperire nonnulli nequiviſſent, addubitarunt etiam, levibuſne adeo cauſſis tam enorme morbi genus adſcribendum eſſet, quam in ſententiam ipſe etiam MORGAGNIUS *c*) videtur fuiſſe proclivis, cui levia id genus vulnera non tam princeps morbi hujus cauſſa, quam potius vel occaſio (ut & VALLESIO *d*) & AUGENIO *e*) viſum eſt

a) l. c. Obſ. 112.
b) Prædictor. L. 2. FOES. T. 1. p. 96.
c) l. c. n. 50.
d) Comment. in HIPPOCR. Epid. L. 5. n 47.
e) T. 1. L. 9. Epiſt. Med. 2. vel potius 3.

eſt) eſſe videbantur, quæ malignam corporis conſtitutionem ad peſſima ſymptomata, mortemque ipſam inducendam determinarit, vel quod, ut ait VALERIUS MAXIMUS *a*) „ magis in tempus mortis „ incidant, quam ipſa mortem accerſant „. Interea vero meminiſſe oportet, ne graviſſima quidem vulnera plus in ſe, quam ſolam producendi tetani occaſionem comprehendere, uti pluribus poſtea *b*) dicendum erit; quandoquidem non ſemper tetanos procreaſſe viſa ſint, ſed alias alios quoque morbos a tetanis diverſos, alias nullos: quo fit, ut ad tetani geneſim plus, quam ſola vulnerum præſentia, requiratur. Quod autem leviora vulnera non tam ad geneſin tetani facere, quam neſcio quo fatali ordine in idem mage tempus cum occultis illius cauſſis incidere ab nonnullis credantur, ad id nil aliud reponendum exiſtimo, quam tetanorum ab levibus id genus cauſſis profectorum numerum eſſe majorem, quam ut fortuito caſui omnes tribui poſſint, præſertim cum in ſingulis eorum ſub iiſdem rerum adjunctis tetani ſint producti, quæ nihil minus, quam fortuitum quid arguunt. Ad

a) Fact. ac dictor. memorab. L. 9. C. 12.

b) Vid. §. 63.

hæc & illud accedit, graviora ſæpenumero vulnera haud prius tetanum poſt ſe traxiſſe, quam ubi vel prorſus jam coivere, vel minimum quid tantummodo ad perfectam conſanationem deſiderabatur, ſeu, quod in idem recidit, ubi graviora vulnera ad leviſſimorum conditionem fuere redacta, ut obſervationes paulo ante ex Annal. Wratisl. AMATO, BILGUERO, CARTERO, FARR, KUNDMANNO, MONROO, ZANETTIOque excitatæ abunde teſtantur; aut num & hæc in tetani mortiſque tempus inciderunt potius, quam alterutrum vel utrumque ipſa effecerunt? Verum enim vero hæc ut ut ſua ſint natura admirabilia, tamen id maxime omnium mirari ſubit, qui fieri poſſit, ut a vulneribus, quæ extremis corporis humani locis, ut ſunt extremæ digitorum phalanges, infliguntur, plerumque maxilla primum obrigeſcat, ceteris inter hanc & illa interjectis partibus ab omni adhuc ſpaſmo immunibus?

CA-

CAPUT XI.

CACHEXIAE.

§. 57.

QUemadmodum vulnera variarum partium tempore ſuppurationis ad excitandum tetanum ſunt idonea: ita etiam *ulcera* a quacunque alia cauſſa excitata cauſſando eidem paria ſunt, imo quæcunque morboſa materia in uno aliquo loco collecta, i. e. omnis *cachexia topica*, imprimis vero

§. 58.

1. ABSCESSUS *faucium*. Etenim tetanus, ut COUS *a*) obſervavit „ oritur, „ cum circa poſteriores cervicis tendo„ nes aut ex angina, aut uva, aut locis „ ad tonſillas purulentis affectus fuerit „. Ita triſmum ab angina purulenta FORESTUS *b*) & HAEN *c*) obſervarunt.

a) De intern. affectionib.
b) Vid. §. 158. H. 217.
c) Vid. §. 159. Hiſt. 219.

§. 59.

2. ULCERA *aperta*. Ab oris ulceribus triſmum HAZON *a*), tetanum univerſalem a pedibus ulceratis CONNELL *b*), vide-
Hiſt. 120. runt. HAENIUS *c*) medicinam fecit juveni ulceribus venereis in corpore, præſertim vero in capite, fœdato. Dabatur Mercurius ſublimatus, cujus ſub uſu æger in maxillæ tetanum incidit, adverſus quem præter emulſum camphoratum cum opio, cujus ob deglutitionem fere penitus impoſſibilem parum admodum ingeri potuit, fimus equinus calens maxillis temporibuſque ſæpius admotus altero die faciliorem reddidit deglutitionem, ac die 3tio tetanus deſiit, venereumque malum poſtea reſumto mercurii ſublimati uſu eſt
Hiſt. 121. percuratum. Apud BAION *d*) æthiopi feminæ ambuſto aqua fervida femore & crure ſub octavi inde diei finem tetano correptæ die 10mo dentes adeo coivere, ut nulla vi vel ad lineam diduci potuerint: ſpiratio erat laborioſiſſima, pulſus parvus & inæqualis cum aphonia, inſenſilitate, amauroſi, ſudore frigido, quo in ſtatu

a) Vid. §. 148. H. 209.
b) Vid. §. 132. c.) H. 185.
c) Rat. Med. P. 10. C. 4. §. 7. n. 4.
d) l. c. p. 505.

ſtatu die 3tio obiit. Tanto autem deteriora ſunt ulcera complicata, præſertim in queis præſto eſt

§. 60.

3. CARIES, de qua jam ſuperius *a*) quoque eſt actum. Duo hic ad illa adjiciam. HAENIUS *b*) juvenculæ 28 annor. *Hiſt.* 122.
medebatur, a $2\frac{1}{2}$ ann. carie in maxillari ſinu affectæ, qui totus jam depuratus cum levamine ægræ, denuo dolere cœpit, idque adeo, ut die inſequente maxilla tetanum cauſſarit, quo & loquela & deglutiendi facultas eſt ſublata Cataplaſma primo emolliens, dein poſt 28 horas e fimo equino admotum, ſimulque elutis vulgari clyſmate inteſtinis aliud e juris carn. ℥vj. cum opii gr. ij. immiſſum. Secutus inde ſomnus, poſt quem triſmus remiſit, & ægra deglutire cœpit. Die 3tio iteratum enema opiatum ſpaſmum ſolvit. Caries deinde ſollicite percurata. Aliud memorabile tetani cervicis lethalis a carie vertebrarum colli exemplum habetur apud I. SALTZMANNUM *c*): juve- *Hiſt.* 123.
nis ruſticus ad 20 annos natus ab aliquo

 tem-

a) Vid. §. 50. d.)

b) Rat. Med. P. 10. C. 4. §. 7. n. 5.

c) Act. Nat. Cur. Vol. 2. Obſ. 98.

tempore inſignem capitis dolorem gravativum ſuſtinuit, quem narium hæmorrhagia eſt conſecuta. Deinceps caput factum eſt immobile cum ſtupore artuum tum ſuperiorum, tum præſertim inferiorum. Omnibus fruſtra tentatis æger poſt unum alterumve menſem convulſus interiit, poſtquam circ. 10. ante obitum horis continuos & atrociſſimos edidiſſet ejulatus, ac per nares ad ℔iij. aut jv. ſanguinis profudiſſet. In cadavere atlas ab axe pollicem latum ſurſum verſus diſtabat: ligamentum poſticam utriuſque partem nectens relaxatum erat, & ad utrumque ejus latus tumor adfuit, materiam ſteatomatum ſimilem continens; ligamentum vero proceſſum dentiformem oſſi occipitis jungens fuit ruptum. Præterea materia ſteatomati ſimilis plura alia etiam loca inſedit, repertaque inter muſculos rectos & obliquos, inter utramque dimotam vertebram, inter has & duram ſpinalis medullæ matrem, uberior a dextris cum acri ſero circumfuſo, a læva autem tenuior. Porro primas duas colli vertebras pluribus in locis caries vitiavit, quæ 3tiam quoque vertebram corripuit, & os occipitis perinde mox ante foramen magnum uſque in cranii cavum eroſit. Denique

nique inter cerebrum duramque matrem copioſum ſerum cruentum delituit.

§. 61.

4. GANGRAENA, *ſphacelus*. Puer *Hiſt.* 124. decennis, ut HOECHSTETTER *a*) narrat, menſe Decembri exeunte ſtipem colligens, & ob id a lictore in carcerem frigori externo pervium projectus, tolerato ibidem totius noctis frigore, in digitis pedum gangrænam contraxit, quæ neglecta in ſphacelum abiens tetanum lethalem cauſſavit. Eundem eventum habuit puella decennis I. WAGNERI *b*), cui *Hiſt.* 125. manus dextræ digiti, præſertim index mediuſque, ad horrei valvas vehementer læſi, perperamque a barbitonſore tractati, in gangrænam abiere, ac medius brevi poſt ſphacelo deſtructus, cum uni jam tantum nervo cohæreret, diſciſſus ſponte decidit. Poſtero die tetanus univerſalis cum inſuperabili triſmo ac riſu Sardonio adfuit: die 4to ſupervenit ſymptomatica febris, & die 9no puella occubuit.

---

a) l. c. Caſ. 4. p. 594.

b) Miſcell. Nat. Cur. Dec. 3. Ann. 2. Obſ. 159.

CAPUT XII.

NERVI, TENDINESVE IN VULNERE, ULCERE, VEL LOCIS SENSIBILIORIBUS VELLICATI.

§. 62.

QUas ad poſtremum hocce caput obſervationes reſervavi, maximi (niſi me omnia fallunt) ſunt momenti; quippe quæ ad cognoſcendam tetani intimiorem indolem plurimum lucis varietate ſua adferre videntur, dum modum irritationis, quæ ſpaſmum tetanicum poſt ſe trahit, ſenſibus noſtris ſubjiciunt, inter quas primum ſibi locum depoſcunt bi-
Hiſt. 126. næ BOERHAAVII *a*); „ vir nobilis ex
„ nimis lauta vita laborabat phlegmone
„ in inferioribus corporis partibus, quæ
„ tranſibat in gangrænam. Ab ea denu-
„ datus apparebat tendo, ejuſque vagina
„ exterior ita tumebat, ut vigecuplo fere
„ major naturali appareret. Suppuratio
„ felix ſeparabat omne hoc tumidum
„ ſpecie ſordium. Monebam chirurgum,
„ tendinem hunc involucro ſuo eſſe or-
„ batum, ut caveret illum attingere: ille
„ nimis

a) l. c. T. 1. p. 71.

„ nimis temerarius flocculum quemdam „ vult auferre, & prehendit fibram ten„ dinis. Æger unicum edebat ejulatum, „ omneſque totius corporis muſculi obri„ geſcebant; ſed momento poſt malum „ hoc iterum ceſſit. Nobilis juvenis Bri„ tannus incidit in contuſionem teſtis, „ quæ dein ſcirrhum & cancrum contra„ hebat. Re bene deliberata nihil con„ ſultius videbatur, quam exſtirpatio. „ Chirurgus dexterrimus hanc operatio„ nem ſuſcipit; ſed ſe utcunque feſtinans „ trahit paululum nudatum teſtem hinc „ nervo etiam tracto audivimus ſummum „ ſtridorem dentium, & mox æger inſtar „ ſtatuæ obrigeſcebat, quæ ſymptomata „ exſecto teſte paulo poſt plane ceſſa„ bant „. Ad poſteriorem hanc proxime accedit obſervatio PLENCKII *a*), cui bis triſmum ex rudiore funiculi ſpermatici in maligna ſarcocele ligatura videre contigit; ad præcedentem vero alia apud eundem *b*) de triſmo vulneri juncto ac ſub qualibet deligatione aucto. His addendus eſt ſingularis caſus a MANGET *c*) relatus: matronæ Genevenſi dens uni alveolorum inſertus excepto levi ictu maxil-

Hiſt. 127.

Hiſt. 128.

a) l. c. p. 221.
b) Ibidem p. 203.
c) l. c.

xillarem inferiorem nervum pupugit: unde dolor tumorque maxillam inſedit. Admotum veſicans malum auxit; etenim triſmus perfectus cum deglutitione prorſus impedita ſecutus eſt, fruſtraque in uſum vocatis balneis, V. S. ſuffumigiis, emollientibus fotibus, ac emplaſtris, nec non opio, ægra 5 morbi diebus exactis occubuit inter ſummos cruciatus. Apud SAUVA-
Hiſt. 129. GES *a*) centurioni glans plumbea pertuſo thorace infra cartilaginem xiphoidem repens atroces cauſſavit dolores, & per vices jam opiſthotonum, jam emproſthotonum, niſi ſumma cura corpus rectum ſervaret, ſi enim ſitu eodem feſſus vel paululum antrorſum ſe flecteret, mox emproſthotonus aderat. Educta glande, & V. S. iteratis convaluit. Eundem poſt ſe eventum trahunt acria quæque remedia ulceribus tumoribuſve nonnullis applicata, præſertim cauſtica. Ita apud HIPPOCRA-
Hiſt. 130. TEM *b*) „ THRINON (alibi *c*) ZENO „ dictus) DAMONIS filius ex tibiæ ulce„ re juxta malleolum, cum ad nervum „ ſane purum medicamentum erodens „ fuiſſet adhibitum, opiſthotono mortuus „ eſt „. Similem caſum & BAION *d*) ad-

a) l. c. n. 3. p. m. 31.
b) Epidem. L. 5. n. 76.
c) Ibid. L. 7. n. 46.
d) l. c. p. 419.

adnotavit : militi cum parvum in crure ulcus noſocomii cura non coiret, neſcio quis pauxillum cauſtici illi indidit. Non multo poſt atrox dolor ortus: quem ſopitum placidus 7. vel 8. hor. ſomnus ſecutus eſt. Inde per 6. dies nihil ſiniſtri; eſchara decidit, pus bene proceſſit: at 8va ab indito cauſtico die levis deglutiendi difficultas, motus linguæ & mandibulæ minus promtus, grave caput, pulſus paulo major; poſtero die triſmus jam, difficillima deglutitio, vires dejectæ, ſudor toto corpore viſcidus, ſpiratio impedita, muſculis colli ac ſpinæ convulſis æger ferreæ perticæ inſtar rigidus. Binis primis diebus ter e brachio ſanguis miſſus, datæ potiones oleoſæ cum leni anodyno, ℞ ſuccini & caſtorei; injecta enemata emollientia, muſculis rigidis fomenta oleoſa appoſita. Die 3tio omnia graviora: V. S. in pede facta, cetera ut ante uſurpata, ſed incaſſum: nam pulſu minore celerique facto æger nihil jam queſtus, frigido ſudore perfuſus ad 5tum uſque diem ita manſit, quo agonem occipiens 7mo die vitam clauſit. Huc referenda eſt VOLCKAMERI *a*) obſervatio: primiparæ ſub legitimo, at laborioſo 24 hora-

Hiſt. 131.

Hiſt. 132.

a) Miſcell. Nat. Cur. Dec. 2. Ann. 6. Obſ. 238.

horarum partu orificium uteri læſum eſt; nam in ſubſequo dein cum marito coitu inſignes experta eſt dolores, ac triennium inde ſterilis minuſque ſana vixit, peſſum etiam per noctem vaginæ inditum, ubi eductum eſt, apicem pure infectum præbuit. Suadebantur thermarum balnea, quorum ſub uſu tetanum univerſalem cum dolore capitis, dorſique ex oſſe coccygis cœpto, incurrit. Ceſſatum a balneis, factiſque injectionibus uterinis tetanus evanuit: ſterilitas manſit. Eodem modo acria remedia tumoribus imprudenter applicata tetanum induxere: apud HAENI-
Hiſt. 133. UM *a*) juveni 20 annor. in contuſa tibia dextra tumor pugnum æquans ortus, per 30. annos indolens, dein dolere cœpit: enucleatus, poſt 5. menſes recrevit, jam non cyſticus, ut ante, quem imprudenter applicatus lapis infernalis inferius eroſit. Eroſio erat purpuraſcens, nihilque humoris plorabat: acceſſere ſpaſmi abdominis, ſpiratio anhela, triſmus, ac demum emproſthotonus. Dexterrime licet poſtea exſtirpatus tumor emproſthotonum non ſuſtulit, imo intra triduum inſtar avellanæ recrevit, denuo auferendus. Idcirco cum biduo poſt primam operationem inflammato-

a) Rat. Med. P. 6. C. 4. §. 9.

matoria ſimul febris emicuiſſet, præter omnis generis topica externa, enemataque, ſanguis etiam quinquies, copioſe ſemper, detractus eſt, qui denſiſſimam cruſtam formavit. Tandem ultimis 5 diebus paucæ tantum lotii guttulæ prodiere, ægerque 9no die interiit. Per integrum pene a morte triduum nemo maxillam abſque ſumma vi vel leviter deducere potuit. In cadavere aperto inter cetera veſica urinaria prorſus vacua fuit reperta. Verum enim vero ſola partium etiam non ulceratarum, ſed exquiſito tamen ſenſu præditarum titillatio aut tenſio aut alia irritatio ad producendos tetanos viſa eſt ſufficere. Apud TULPIUM *a*) juvenis calculoſus, *Hiſt.* 134. tormina ac mejendi difficultatem diu perpeſſus, ac emaciatus, annum integrum ante mortem ſedendo tranſigere debuit; nam quotieſcunque caput in pulvinar reclinare tentavit, illico vel tetano vel opiſthotono correptus eſt, qui poſterior ſæpe adeo illum curvavit, ut corpus univerſum inſtar globi retrorſum conglomerari videretur. Poſt obitum bini calculi in veſica tota a pure conſumta, ſolo ejus collo ſuperſtite, reperti ſunt, urina libere in abdominis cavo fluctuante. Veroſimile eſt, dum

a) Obſerv. Med. L. 3. C. 2.

dum æger decumbere conabatur, illam inteſtinis ac meſenterio e pelvi affuſam vellicatione ibidem nervorum (vel forte & ulceroſi colli veſicæ) ſpaſmos dictos cauſſaſſe. Denique curandam habuit GOERITZIUS *a*) puellam 21. ann. quæ a crebris ſponſi quotidie accedentis illecebris adeo repente convelli cœpit, ut intra nycthemerum 9 enormes inſultus ſuſtinuerit, in queis lingua miſere conciſa, corpus opiſthotono ita curvatum, ut caput ſcapulis inhæreret, arcus a dorſo ſuper lecto factus hominem tranſmitteret, artubus præ diſtorſione vix non luxatis, pollicibus pugno clauſis, ſpumante ore, ac ſubinde gemitibus editis. A paroxyſmo ægra debilis, anxiaque in æſtu ac ſudoribus demum indormiit. Cum cauſſa ſemel innotuiſſet, ac plethora cum ſiti & anorexia præſto eſſet, facta V. S. potui nil niſi aqua recens conceſſa, & MR[a] antiepileptica exhibita morbum ocyus profligarunt. Videbimus inferius in juvene alio *b*) a ventriculi ad corpus durum appreſſione tetanum, fuiſſe ortum. Prius vero, quam hanc materiam dimiſero, unicum etiam ſupereſt

Hiſt. 135.

a) Annal. Wratisl. Tent. 28. An. 1724. April. Cl. 4. Art. 14. p. 433.
b) Vid. §. 107. H. 156.

pereſt irritationis nervorum genus diſcutiendum, utrum nimirum tetano producendo par ſit plebeia uvulam laxam ac elongatam accurtandi methodus? quæ poſtulat, ut *æger crinibus in vertice capitis exilem in faſciculum collectis prehenſus ter in ſublime levetur, & ad obortum tunc dolorem ſine clamore animoſe ſuperandum conſtrictis firmiſſime dentibus ter glutiat.* Z. VOGEL *a*) maxillam inferiorem inde poſtrorſum luxari credidit, cujus rei tria exempla profert, quæ mihi totidem tetani maxillæ fuiſſe videntur; quod quia rite utrumque ab ſe diſcernere multum intereſt, utrum recte exiſtimem, periculum rei breviſſime faciam. Primum exemplum VOGELII *b*) exhibet feminam eodem tempore, quo puerperio defuncta eſt, in faucium inflammationem lapſam, uvula erat laxa & elongata, cujus rei medelam quærens, alius conſilio plebeiam illam curandi methodum ſuſtinuit, quæ os adeo firmiter clauſum poſt ſe reliquit, ut cuneus in id genus caſibus adhiberi ſolitus ob dentes arctiſſime ſibi cohærentes ne applicari qui- *Hiſt.* 236.

---

a) Anatom. Chirurg. u. Medic. Beobacht. n. 31. p. 217.

b) Ibidem p. 220.

dem potuerit, donec bini prius dentes fuiſſent fracti: dumque tunc hiatui ſic facto cuneus inſertus os diductum ibat, ſuperiores quoque dentes frangebantur, maxillaque crepitavit, ægra in ſyncopen labente. Miſſo idcirco ulteriore cunei uſu, per hiatum illum dentium effractorum deglutienda immittebantur ori: ſed ægra nil deglutire valens, 4[to] die deceſſit.

Hiſt. 137. Exemplum alterum *a*) viri eſt ab eadem cauſſa morbum eundem paſſi, in quo eadem tentamina facta, idemque exitus. Videamus jam primum caſum (ſecundus enim, utpote obiter allatus, obiter quoque dimittendus). *Femina puerperium egreſſa eſt*: puerperium inter cauſſas tetani vidimus; ſed jam egreſſa eſt? Quis ſcit, num perfecte ulcus uteri coaluerit? & numquid vulnera jam curata tetanus eſt ſecutus? *Inflammationem faucium incurrit*, *& uvula erat elongata.* Dubia hæc admodum, ſæpe enim in tetanis lingua rubet, tumetque, dolor faucium adeſt, deglutitioque difficilis, & ipſa illa elongata uvula (niſi id ob tumentes vicinos muſculos ita eſſe appareat tantum) in SCHMUCKERI *b*) matrona obſervata eſt etiam. Num non ergo jam imminentis

a) Ibidem p. 221.

b) Vid. §. 50. b) H. 65.

tis tetani ſymptomata aderant, quem dolor e crinium tenſione ortus acceleravit? Si jam cetera quoque oris clauſi phænomena ſpectes, omnia triſmum perfectum eadem comitantur, videlicet dentes arctiſſime ſibi mutuo in contactu cohærentes (cur autem, ſi luxata poſtrorſum fuit mandibula, ejus dentes non multo potius ultra ſuperioris maxillæ dentes poſtrorſum pulſi? num mulieri forte in ſecunda valetudine maxilla inferior ultra ſuperiorem antrorſum procurrens fuit, ut luxatæ deinde dentes cum aliis congruerent? ſcire hæc utique oportuit) cuneo citra læſionem ac ſyncopen non ſejungendi, & deglutiendi facultas ex integro ſublata; nec non 4to die mors. Ambo itaque allati caſus plus triſmum, quam luxationem mandibulæ, cujus poſſibilitatem plerique omnes adhuc repudiant, adfuiſſe evincunt. Sed tertium forte exemplum plus in rem VOGELII evincet *a*): ancillæ ad 24. annos natæ faucium inflammatio prægreſſa ac variis gargariſmis diſcuſſa laxæ uvulæ elongationem poſt ſe reliquit, cui tollendæ ſuperius dicta plebeia curatio adhibita perinde, ut in binis prioribus ægris, oris clauſuram, nullis tentaminibus factis *Hiſt.* 118.

 ſupe-

a) l. c. p. 218. ſqq.

ſuperandam, cauſſavit. Accitus demum tonſor ægræ in ſella locatæ ex improviſo validum lævam in malam colaphum inflixit, ac mox poſtea alium quoque validiorem, ut e ſella in terram proturbata ſit: unde ſe colligens & baryecoiam auris dextræ, & majorem maxillæ loco dimotionem percepit. Facies torva erat ac diſtracta, pro voce murmur inconditum, & hinc inde ſpuma alba trans dentes erumpebat. Maxillæ ſuperioris dentes magis, quam inferioris, procurrebant, videbaturque inferior maxilla aliquatenus detorta, facieſque obliquata; quippe cujus dentes molares dextri parumper ultra ſuperiores procurrebant, contra quam lævo in latere videre fuit: condylus quoque dexter juxta porum acuſticum & viſui & tactui plus obvius, illum fere comprimens baryecoiam cauſſavit; & major ſimul attactu dolor ibidem eſſe videbatur. Contra ea ſiniſter condylus viſui quidem non patuit, ſed tactu tamen magis, quam naturali in ſitu percipitur, reperiri potuit. Ceterum dentes adeo arcte ſibi cohæſere, ut nec tenuiſſimi cultri laminam intra ſe admitterent: omnes faciei muſculi inſigniter erant inflati, oculi rubri ac torvi, ſonora per nares ſpiratio, ac cervicis quoque, in quam ægra aphona manum intendebat, muſculi

tumen-

tumentes ac ligni inſtar duri tangebantur. Cl. Auctor malum curaturus, primum a binis viris muſculos & articulos maxillæ per ſemihoram continenter oleo olivarum ungi, dein fomenta e ſoluti Sap. Ven. ℥j in vini Gallici fervidi ℔ij. calide utrinque applicari, uſque dum refrigeſcerent, tumque rurſus, ut prius, per $\frac{1}{4}$ horæ ungi, ac poſtea novis fomentis muniri, integro bihorio juſſit, donec muſculi laxiores molliores que redderentur: quod ubi obtentum, condylorum maxillæ repoſitio, quæ in Auctore *a*) videri poteſt, intra 10 minuta feliciter ſucceſſit, & adhibitis poſtmodo roborantibus nervinis ægræ priſtinam reddidit valetudinem. Sed neque hæc hiſtoria id, quod deberet, evincit; etenim ſiquid in illa video, eſt triſmus vel obliquus vel luxationi unius condyli complicatus. Vidimus ſpaſmum muſculorum maxillæ uno in latere interdum validiorem, quam in altero, maxillam parumper obliquare poſſe *b*), velut in HILDANI puero, ita ut luxatio in uno latere eſſe videatur, quo in ſtatu autem ſi nova vis externa accedat, ſicut in hacce ægra binos validiſſimos colaphos experta accidit, fieri utique poteſt, ut illo in late-

a) Ibidem p. 225. *b*) Vid. §. 19.

re maxilla facilius luxetur. Cl. Vir per emollientia ſpaſmum primo omnium ſuſtulit, quo ſublato luxationem unius lateris, non vero poſtrorſum factam, repoſuit. Sed intra bihorium triſmus externis emollientibus ſolvitur? Quid ni? ſunt triſmi, qui facile citoque remediis obediunt, imo univerſales quoque tetani. HAZON *a*) ſolis externis emollientibus triſmum ſat cito ſolvit, una V. S. emproſthotonum momento diſcuſſit *b*), &c. Porro ſi nullus tetanus adfuit, ſed omnia luxationi debebantur, cur omnes faciei muſculi, imo & ipſius cervicis, tumidi, rigidi? Si denique maxillæ poſtrorſum luxatio unquam accidit, illam non ſymptomata hic recenſita, ut quæ triſmo perinde communia ſunt, ſed ſola anatomica poſt mortem ſectio vindicare debebit. Atque ſic occaſionales tetani cauſſas luſtravimus.

LI-

a) Vid. §. 148. Hiſt. 209. *b*) Vid. §. 230. Hiſt. 182.

LIBER IV.

DE CAUSSIS PROEGUMENA AC PROXIMA, ET DIAGNOSI TETANI.

CAPUT I.

CAUSSA PROEGUMENA.

§. 63.

SI ad ætiologiam pathologicam tantiſper digreſſi allatarum libro præcedente cauſſarum variam in corpus humanum efficaciam inveſtigemus, indeque ad evolvendas morborum apud Clinicos hiſtorias adjiciamus animum, liquido apparebit, quamlibet memoratarum cauſſarum ita ſua eſſe natura comparatam, ut multiplicibus pro varietate corporum morbis, iiſque diſparatis, par ſit procreandis. Quem enim fugit, ab uno eodemque animi pathemate, ut eſt terror, quibuſdam in mortalibus palpitationem cordis, in aliis ſyncopen excitari, contra alios epilepſia inde, alios catalepſi, alios paralyſi, febre in-

termittente alios, &c. prehendi? Quod idem cum de ingeſtis, tum de pravorum humorum colluvie, vermibus, metaſtaſibuſque &c. perinde obtinet uſque adeo, ut ab iiſdem his cauſſis longe frequentius quoſvis alios morbos videas produci, quam tetanum; quippe qui noſtro præſertim ſub cœlo nec millioneſimum quemque hominem a data cauſſa invadat. Etenim quot myriades hominum a perſpiratione ſuppreſſa non videas afflicta eſſe valetudine? quin tamen pluribus, quam uni alterive, imo ſæpe ne uni quidem, tetanus accidat. Quæ cum ita ſint, haud difficulter conficitur, in nulla in medium allatarum cauſſarum adæquatam tetani rationem contineri; ſed aliud quid requiri porro, quod illis unitum demum tetanum, nec aliam ægritudinem, inducit. Iſthoc autem quid aliud eſſe poteſt, quam ſingularis quædam ac determinata corporis humani ad tetanum multo potius, quam alium quemvis morbum, a data occaſionali cauſſa contrahendum diſpoſitio? Quæ adeo ut PROEGUMENA ejuſdem CAUSSA habenda eſt.

§. 64.

Sedes porro cauſſæ proegumenæ ſi quæratur, haud dubie in ſyſtemate nervoſo eſt reponenda. Enimvero cum tetanus nervorum ſit affectio, hæc illis induci nequit a quacunque occaſionali cauſſa, niſi ad eandem ſuſcipiendam ſint habiles, i.e. niſi dicta ante diſpoſitio in ipſis ſit nervis, ſine qua omnis aberit ſufficiens ratio, cur nervis a terrore, a vermibus, &c. tetanus potius, quam aut paralyſis aut epilepſia inducatur. Neqne etiam eſt ambigendum, habilitatem illam ſeu diſpoſitionem non ſingulari aliquo ſyſtematis nervoſi loco eſſe circumſcriptam, ſed ad omnem nervorum ſyntaxin ubique locorum in corpore pertinere; ſiquidem cauſſæ occaſionales variis corporis nervis applicatæ tetanum, ut vidimus, produxere.

§. 65.

Sed quid illud rei eſt, quod ejuſmodi ad tetanum diſpoſitionem nervis conciliavit, & quodammodo impreſſit? Nemo id, ut opinor, divinabit: quidquid enim belle ac ingenioſe attuleris, cui diſpoſitio illa tribuenda eſſe videatur, nunquam non quæram, quî inde tetani præ

aliis nervorum affectionibus infrequentia intelligi explicarique poſſit? Horum profecto diſcrimen a ſola ſyſtematis nervorum aut debilitate aut irritabilitate, quantumvis ambæ, ut habilitas dicta adeſſe queat, forte ſunt neceſſariæ, diverſum ſit, oportet; cum hæ tam multis communes ſint, quin tetanum ad poſitam unam e procatarcticis ejus cauſſis, niſi quam rariſſime, producere obſerventur. Atque idem etiam de aliis nobis cognitis nervoſi ſyſtematis vitiis obtinet ratiocinium. Unde quemadmodum ipſa diſpoſitio eſt ignota, perinde illud, cui hæc debetur, ignoratur.

§. 66.

Subjecta vero, in queis memorata ad tetanum diſpoſitio potiſſimum reperitur, ſunt fere

1mo *Infantes* ac vel maxime *nuper nati*, idque a die vitæ 3tio ad 9num 12mum 14tum 40mum, poſtea non perinde. In inſula Cayenna BAIONO *a*) incolæ magno natu teſtati ſunt triſmum recens natis ad 9num vitæ diem adeo eſſe communem, ut in quibuſdam inſulæ tra-

ctibus

a) l. c. p. 408.

ſtibus vix 3^{tia} pars illum effugiat. Hoc itaque tempore omnis cura ad triſmum avertendum a parentibus ibidem impenditur, videlicet neonatos in conclavi contra aeris externi acceſſum probe munito totos 9 dies tenent, nec ante diem 10^{mum} ad eccleſiam efferunt baptiſmo initiandos: porro umbilici vulnus mox a reſciſſa chorda emplaſtro tenaci ab aeris acceſſu muniunt; denique nonnulli etiam totum corpus mane ac veſpere groſſa quadam ſubſtantia perfricant. Superato autem 9no die omnes hæ cautelæ, quod metus triſmi jam ſit nullus, negliguntur. Perinde ad 9^{num} tantum diem triſmo ſunt obnoxii infantes urbis Barchinonenſis teſte HYACINTHO ANDREA Medico Hiſpano *a*). At in Helvetia obſervante I. HOFERO *b*) uſque ad 12^{mum} vitæ diem triſmi eſt periculum; WERLHOF *c*) etiam ad 14^{tum} illud extendit, & GRAINGER *d*) ad illud uſque tempus in India occidentali infantes triſmo corripi obſervavit. Imo in Hiſpaniola inſula

S. DO-

---

a) v. CLEGHORN Obſ. on the epidem. diſeas in Minorca. Introd. p. 73. ſq.

b) Act. Helvet. Vol. 1. p. 64.

c) Commerc. Norimb. T. 4. A. 1734. Hebd. 6. §. 3. p. 42.

d) Eſſay on the more common. epid. Weſt-India Diſeas. p. 15.

S. DOMINGO dicta, ubi triſmus adeo recens natis eſt infeſtus, ut dimidium fere illorum necet, per 40 dies incolæ ſuos infantes ab aere arcent, ac lapſo primum hoc tempore ad baptiſmum efferunt *a*). Superata autem varia hac variis in locis vitæ periodo tametſi diſpoſitio illa plurimum elangueſcat, non tamen in omnibus periculum abeſt. P. SAL. DIVERSUS *b*) de hoc morbo agens „ teſtor (ait) me vi-
„ diſſe plures infantes tetano detentos,
„ in eiſdemque hunc morbum aliquando
„ ultra 14 diem protractum fuiſſe anim-
Hiſt. 139. „ adverti. Unum autem peculiariter qua-
„ drimeſtrem conſpexi ita tetano corre-
„ ptum, ut ſi animam non duxiſſet, ſta-
„ tuam rectiſſimam, in nullamque partem
„ declinantem, judicaſſes, adeo recta ri-
„ gideque totus ſe habebat; nullam enim
„ partem, nec minimam quidem, mo-
„ vebat. Hic per 40 dies ita perman-
„ ſit, nec unquam vocem emiſit, nec
„ ubera matris lactavit, lac tamen per
„ ampullam vitream in ejus os inſtilla-
„ tum deglutivit. . . . morboque ſuper-
„ vixit „. Adultior etiam iſto erat infans

a) V. RAULIN von Erhalt. der Kinder 2 Band. 1. Abſchn. 10. Cap. p. 85.

b) De febre peſtilent. &c. p. 399.

infans apud SCHEUCHZERUM *a*), nimirum 38. hebdomadum, cujus caput opiſthotoni vi calcaneum attigit. Cum nil deglutire valuiſſet, obiit. In cadavere omentum nullum, inteſtina tribus in locis introſuſcepta, in encephalo ſerum bile tinctum repertum. Nec deſunt ætatis paulo majoris exempla, licet rariora. Cum hæc ætas adeo tetano eſſet obnoxia, in cauſſas ejus ſenſibiles a multis eſt inquiſitum: aerem BAION, aerem victumque HYAC. ANDREAS *b*), meconii reliquias multi clari viri *c*), hepar bilemque BRENDEL *d*), partum laborioſum STORCH *e*), lac nutricis WERLHOF *f*), alia alii culparunt, ſic ACKERMANN *g*) de triſmo, „ vidimus eum (inquit) in infante ante „ ſex dies feliciſſimo partu edito, cui „ Medicus, qui curam illius a primis „ ſtatim diebus geſſit, omne certe me- „ conium leniter purgante medicina, repeti-

Hiſt. 140.

Hiſt. 141.

a) Annal. Wrat. Tent. 29. A. 1724. Jul. Cl. 4. Art. 11. p. 97.

b) l. c.

c) CHALMER l. c. p. 103. WHYTT l. c. C. 1. §. 11. i.) p. m. 18. HILLARY Beobach. über die Veraenderung der Luft, und die damit verbunden. epidem. Krankh. auf der Inſel Barbados p. 262. 272.

d) l. c. §. 4. p. 192.

e) v. BÜCHNER. l. c. A. 1727. Septemb. Cl. 2. Art. 4. §. 2. p. 524.

f) Vid. §. 38.

g) l. c. §. 7. p. 25. ſq.

„ petitis vicibus exhibita, ſubduxerat. „ Quum 5to ſuæ ætatis die in triſmum „ incideret, nullam prorſus aliam cauſſam „ accuſare potuimus, quam nimis arctam „ tenelli corporis conſtrictionem, a faſci- „ is nimis adſtricte applicatis ortam. „ Tertio a morbo die placida morte ex- „ ſtinctus eſt „. Sed cur nemo umbilici vulnus culpavit? Verum ut ut hæc ſint, mirari ſubit AETIUM *a*) ſcribere potuiſſe, hoc morbo neque infantes neque ſenes corripi? nam ut de infantibus jam ſatis conſtat, ita & ſenum tetanicorum exempla non deſunt; etenim ægra apud DELACROIX *b*) ſexagenaria, FORESTIque *c*) emproſthotonica jam vetula fuit, BRENDEL *d*) quoque tres aniculas tetano enectas vidit, virum tamen ſenem Hiſt. 142. nullum; at RIEDLINUS *e*) præsbyterum 60 annis majorem tetano lethali confectum obſervavit. Unde patet, ſenio quoque tetanum non parcere. Errorem forte ſuum AETIUS debuit DEMETRIO, qui teſte AURELIANO *f*) negavit ſenes hoc morbo affici. Interea quamvis ſenes quoque tetano obnoxii ſint, uti omnis alia ætas;

a) L. 6. C. 38.
b) Vid §. 39. Hiſt. 29.
c) l. c. Obſ. 113.
d) l. c. §. 2.
e) Lin. Medic. Ann. 4. Jan. 27. p. 73. ſqq.
f) l. 6. C. 7.

ætas; tamen haud ita frequenter, ac infantes primis vitæ diebus, imo nec alia quacunque ætate frequentius, ſi e ſolo cognitarum nobis obſervationum numero arguimus. Eapropter ne ARETAEO *a*) quidem, veri alioquin ſtudioſiſſimo, ubi ævi ſui theoriæ non indulget, hac in parte aſſentiri oportet ſcribenti: „ quantum ad „ ætates attinet, pueri aſſidue hoc mor„ bo vexantur, . . . juvenes autem rari„ us. . . . At ſenes inter omnes magis „ . . . eo vitio corripiuntur „: ſed cur quæſo? „ in cauſſa eſt frigiditas (repo„ nit), & ariditas ſeneƈtæ „. Quæ ſatis oſtendunt, ipſum e theoria magis, quam obſervatione, hæc depromſiſſe.

2do *Sexus ſequior.* „ Mulieres ſane „ magis, quam viri, nervorum diſtentio„ ne tentantur „ inquit ARETAEUS; haud ideo quidem, quia, ut ipſe ait, frigidæ ſunt, ſed quod vi paſſionis hyſtericæ, cui tantopere obnoxiæ ſunt, ſyſtema nervoſum ad omne ſpaſmorum genus habent idoneum: neque enim facile, quæ hyſtericæ non ſunt, hoc morbo tentantur, niſi forte a vulnere; hyſtericæ vero & facillime & graviſſime, ut variæ earum hiſtoriæ paſſim datæ oſtendunt. Et ſi teta-

a) l. c.

tetanorum ab animi pathematis *a*) ortorum exempla percurras, videre erit, præter militem extremo mortis terrore perculſum, juvenemque hypochondriacum, omnes ceteroquin fuiſſe feminas. Nec in aliis occaſionalibus cauſſis earumdem exempla deſiderantur.

3tio *Incolæ Zonæ torridæ*, quique his proximi calidiores plagas tenent, de quibus alibi *b*) jam actum eſt.

CAPUT II.

CAUSSA PROXIMA.

§. 67.

Poſteaquam aſſertum dedimus, præter ſenſibiles cauſſas aliam etiam intra corporis penetralia, eamque in ſyntaxi nervorum deliteſcentem, & a ſenſuum conſcientia ſeductam, præſto eſſe debere, quæ a prioribus ad actionem nervorum determinata illam demum ſui generis mutationem nervorum producat, quæ muſculis tonicum illum ſpaſmum, tetanum dictum, conciliat: in præſenti quæritur, primum

quæ

a) Vid. §. 35.

b) Vid. §. 50. a.)

quæ ſit illa nervorum actio ſeu ſingularis mutatio, cui tonicus muſculorum ſpaſmus ſeu tetanus debetur? tum vero cujus generis ſit illa nervorum a ſenſibilibus cauſſis irritatio, quæ peculiarem illam nervorum mutationem, ad quam tetanus conſequitur, poſt ſe trahit? denique quibus in nervis omnium primo dicta illa ſingularis mutatio tetanum accerſens occipiat?

§. 68.

Quod ad peculiarem nervos a ſenſibilibus cauſſis irritandi modum, qui ſoli tetano producendo par ſit, attinet, ne id quidem liquet, (adeo univerſa ad nervorum affectiones pertinentia in occulto ſunt!) unusne idemque ſemper ſit, an multiplex, cui una ſemper eademque nervorum mutatio, ſolum tetanum producere valens, poſtea ſuccedit? Proximum vero eſt, non varium, ſed unum eſſe, irritationemque illam in nervi cujuſpiam tenſione ſive ab ejus origine verſus extremum tractione conſiſtere. Quæ conjecturæ huic favere videntur, hæc fere ſunt: primum exempla tetanorum a nervis tendinibuſve in vulnere, ulcere, aut

ſenſibilioribus in locis vellicatis *a*), tenſis, tractiſve oriundorum; tum quod in artuum extremis digitis leviſſima quæque vulnera ad tetanum inducendum ſufficiant *b*), ob faciliorem id genus nervorum tractionem, vividioremque iis in locis tenſionem, dum alibi non niſi graviores læſiones morbum efficere valent; porro quod vulnera quæcunque ſæpenumero haud prius tetanum induxerint, quam ubi vel prorſus coivere, vel minimum quid ad ſanationem defuit *c*): manifeſto indicio, ob conſumtam a pure celluloſam telam fibras nervis vicinas haud æquabiliter, ut ante, ſibi uniri, ſicque inæqualiter (primo ſaltem tempore) tendi; quo fit, ut ſi nervus quoque iis firmius accretus earum motui obſequi debeat, præter naturam ita, ſemperque magis circa cicatricis geneſim ſenſim invaleſcentem, tenſus idem hic efficiat, quod in vulneribus manu aut inſtrumento tractus. Eſtne ergo tetanus naturæ conatus ad tenſionem hujusmodi ope muſculorum valide contractorum, parteſque tenſas diſtrahentium, abolendam? Sed hæc non ultra conjecturam accipi a quoquam velim. Nam haud ſum neſcius, ut ceteras hypotheſes, ita

a) Vid. §. 62.
b) Vid. §. 54.
c) Vid. §. 56.

ita iſtam quoque ſuis laborare nodis, quorum præcipuus vel ille eſt, quod ab encephali perinde vitiis tetani ſint obſervati, qualem ab ſanguine ibidem effuſo e STŐRCKIO *a*), a ſpacelo *b*), abſceſſu *c*), & [illegible] in ſuperioribus attulimus: in his vero tenſio memorata locum vix habere poſſe videtur; quandoquidem nulli in dura meninge nervi, ut I. F. LOBSTEIN *d*) contendit, hactenus detegi potuere, neque pia meninx, niſi C. N. LECATII *e*) ſententia illi ſuppetias tulerit, jam dudum ab aliis repudiata, hanc in rem quidquam confert. Sed hæc non tam conjecturæ allatæ oppoſita, quam obſcura ſunt potius, ut quæ alibi promptos habent explicatus, hic non niſi dubia ſubſiſtant.

§. 69.

Qualis autem e concurſu proegumenæ cauſſæ cum paulo ante memorata cauſſæ occaſionalis irritatione ſyſtemati nervoſo ap-

a) Vid. §. 32. c.) H. 19.
b) Vid. LESKE l. c. ad §. 52.
c) Vid. COITER. cit. ad §. 52.
d) Diſſert. Anat. de nervis duræ matris. 4. Argentor. 1772.
e) v. Comment. de reb. in Sc. nat. & Med. geſt. Vol. 8. p. 427.

applicata mutatio in nervis accidat, quæ ſoli tetano excitando par ſit, & PROXIMA CAUSSA dici queat, nemo, quod ſciam, adhuc frugi aliquid in medium attulit ſeu olim ſeu nuper. Nam quod BILFINGER *a*) aſſertum prorſus eſſe exiſtimat, mutationem illam nervorum in uberiore citatioreque fluidi nervei in muſculos ingurgitatione conſiſtere, non dum inde intelligitur, quî fiat, ut ſummus inſuperabiliſque muſculorum in tetanis rigor longiſſimo ſæpe tempore a morte quoque perſeveret? velut in ægris tum HAENII *b*) tum M. de CILANO *c*) eſt obſervatum. Tantone tempore, diu jam licet exſtincta circulatione, citatus fluidi nervei torrens locum habere poteſt? Varia hic dici quidem, fingique poſſe, haud ignoro; ſed quæ ſingula eadem, qua ipſe uberior citatiorque ſpirituum in muſculos influxus, egent demonſtratione. Vel enim rigor a morte durans a novo ſemper ſpirituum influxu pendet, vel a primo ultimove eorum torrente ibidem perennante: ſi prius, ſecretio ſpirituum etiam in cadavere fiat, neceſſe eſt, quod nemo di-

xerit:

---

a) l. c. Sect. 5. §. 5.

b) vid. § 43. Hiſt. 49. & §. 98. Hiſt. 152.

c) Vid. §. 54. n. 1. Hiſt. 89.

xerit: ſin poſterius, quî id oſtenditur? & cur non niſi certum ad tempus rigor ille inſuperabilis perſtat? Negat omnino WHYTT *a*) tetanum auctæ motus muſcularis vi tribuendum eſſe, ſed a ſingulari ejuſdem exercitio, cujus penitiorem modum ſe ignorare fatetur *b*), proficiſci. Ipſe quoque SWIETENIUS *c*) magiſtri ſui BOERHAAVII ſententiam de proxima convulſionis cauſſa, quam BILFINGER ſecutus eſt, commentariis ſuis illuſtrare prætermiſit, totamque ut ambiguam in medio reliquit: ut proinde ſatis pateat, quid opinioni huic ſit tribuendum.

§. 70.

Quemadmodum vero ſingularis illa tetanum inducens nervorum mutatio ignoratur: perinde, in quibus omnium primo contingat nervis, haud pronum eſt ſtatuere. Rudimenta quidem univerſalis ac lenti tetani plerumque in cervice primum aut maxilla ſe produnt: unde etiam Veterum aliis cervix aliis maxilla, tanquam SEDES principiumque tetani, ubi memorata nervorum ſui generis mutatio originem initi-

 umve

a) l. c. Cap. 2. p. m. 69. *b*) Ibid. Cap. 6. n. 4. p. m. 177.

c) Comment. in H. BOERH. aphor. ad §. 230, 231.

umve capeſſit, habebatur. ARETAEUS „ tetani muſculorum (ait), qui in ma„ xillis ſunt, & tendonum diſtentiones „ ſunt, dolorem quidem magnum infe„ rentes, celerrime vero necantes, haud „ facile quoque ſanabiles. At noxæ ab „ hoc malo cum omni corpore commu„ nicantur; omnia enim cum principio„ rum vitiis conſentiunt „. Hic itaque Auctor originem tetani in maxillis ſtatuerat. Contra ea CELSUS *a*) in cervice; ubi enim capitis morbos abſolvit „ a ca„ pite (ait) tranſitus ad cervicem eſt, „ quæ gravibus admodum morbis obno„ xia eſt: neque tamen alius importuni„ or acutiorque morbus eſt, quam is, qui „ quodam rigore nervorum modo caput „ ſcapulis, modo mentum pectori adne„ ctit, modo rectam & immobilem cer„ vicem intendit „ &c. Verum enim vero quam parum prima illa nervorum mutatio in tetano ſeu ad cervicis ſeu maxillæ nervos referenda ſit, vel inde conſequitur, quod non ſemper prima aut cervix aut maxilla obrigeſcat; VALSALVAE *b*) enim juveni primum obriguit brachium, ERHARDI *c*) puero oculi; imo in

a) l. c. L. 4. C. 3.
b) Vid. §. 16. Hiſt. 16.
c) Vid. §. 3. B. n. 1. H. 3.

in muliere Galla *a*) ſoli artus ſuperiores inferioresque ipſo in morbi ſtatu rigebant, nullo in maxilla vel cervice præſente ſpaſmo.

CAPUT III.

DIAGNOSIS TETANI.

§. 71.

Diagnoſis tetani ad tria vel maxime reſpicit, ad agnitionem videlicet morbi, dum occipit, tum ubi omnem ſuum habitum adeptus eſt, ac denique ad diſcrimen inter hunc & quaſdam alias eidem plus minus affines affectiones. Per initia, dum lente ac velut ex inſidiis obrepit, haud facile cognoſcitur, niſi ubi aut vulnus prægreſſum, aut epidemiæ genius, ſuſpicionem illius præbet, aut, ſicubi endemius eſt, ſymptomatum ſimilitudo, queis ingruere ſolet, metum ejuſdem incutit, aut plures jam illius inſultus ſuperati, ſi per circuitus vexat, eundem affuturum portendunt, aut denique ipſo jam rigore membrum aliquod prehenſum, ut cervix, maxilla, &c. conſpicitur. At

 ubi

a) Vid. §. 140, Hiſtor. 197.

ubi ſe plene formavit, haud difficulter & per ſe ipſum noſcitur, & ab aliis ægritudinibus ſe diſtingui patitur, cum quibus aliquid habet commune, uti ſunt rheumatiſmus, congelatio a frigore, catalepſis, &c.

§. 72.

TRISMI *ſpurii* primum a vero maxillæ tetano ſunt ſollicite dignoſcendi. Sunt autem tria illorum genera, tam ab ſe ipſis, quam a vero triſmo tonico, prorſus diverſa, nimirum

1. *Rheumaticus*, dum circa articulationum maxillæ partes materia rheumatica collecta præ dolore ibidem excitato debitam oris diductionem impedit. Omnis tum rigor muſculorum maxillam moventium, durities, tumorque abeſt: dolor nonniſi, dum os amplius diducitur, ſentiri ſolet, ac circa unum plerumque tantum maxillæ articulum. In vehementiore malo oris diductio præ dolore vix ulla fieri poteſt. Sæpius hunc affectum fui expertus, quem biduo triduove, ope empl. diaphor. alb. MYNS. ſemper profligavi.

2. *Ulce-*

2. *Ulceroſus*, non is quidem, qui abſceſſus ulcerave oris aut faucium etiamnum præſentia *a*) comitatur; ſed ubi ulceroſa gena in perſanatione cum gingivis concreſcens diductionem oris impedit; quod ſæpe poſt ptyaliſmum mercurialem neglectim tractatum *b*) accidit. Exploratione, & abſentia tumoris duri in muſculis maxillæ, cognoſcitur malum, & ſectione curatur.

3. *Anchyloticus*, etſi oppido rarus, viſus tamen, & concretioni maxillarum debetur. Anglo COOKE *c*) in inſula *Hiſt.* 143.
Madera religioſi viri cranium humanum exhibuere, cujus ambæ maxillæ uno in latere perfecte inter ſe cohærebant. Vita ægri aliquo tempore conſervabatur cibis, qui per foramen extractione nonnullorum dentium molarium factum in os immittebantur. Iſthoc triſmi genus perinde, uti præcedens, a vero maxillæ tetano dignoſcitur tum exploratione, tum duri tumoris in muſculis maxillæ abſentia.

a) Vid. §. 58. ſq.
b) Vid. §. 148. H. 209.

c) Vid. Commentar. de reb. in ſcient. nat. & medicin. geſtis Vol. 2. P. 3. n. 10. p. 465.

§. 73.

RHEUMATISMUS *cervicis* cum ejusdem tetano in immobilitate capitis cerviciſque convenit; niſi quod motum in tetano invita ac violenta muſculorum colli contractio, nullo animæ imperio ſuperanda, impediat, in rheumatiſmo vero atrox ad motum dolor obortus efficiat, ut hunc vitaturi, illum quoque, etſi poſſimus, ſponte non exerceamus. *Univerſalis* autem rheumatiſmus a tetano recto univerſali cum in plurimis aliis diſcrepet, tum præprimis in eo, quod nunquam, uti in tetano dicto, oris diductio ſit impedita; niſi forte rheumaticus quoque triſmus præſto eſſet, qui tamen a vero, ut vidimus, facile dignoſci poteſt.

§. 74.

CONGELATIO vero humani corporis a vehementi frigore ad tetanum quam proxime accedit, ut inter utrumque diverſitas non aliunde fere, quam a ſola prægreſſa cauſſa, quantum ad habitum externum, erui poſſit; nam & in rigore & omni figura convenit, ut jam notavit GALENUS *a*) „ ii (inquiens), quos in „ itine-

---

a) Libro Medicar. definition.

„ itinere uſque ad mortem frigus oppreſ-
„ ſit, talibus rigoribus corripiuntur, quales
„ Græci emproſthotonos, opiſthotonos, ac
„ tetanos appellant, quoniam modo in ante-
„ riorem, modo in poſteriorem, modo in
„ nullam flectitur partem, ſed erectum
„ atque immobile corpus intenditur „.
Interea tamen pulſus ac reſpiratio in tetano præſens eſt, non item in congelatis.

§. 75.

CATALEPSIS porro a tetano facilius dignoſcitur, modo recta prius utriuſque morbi notio habeatur. Hæc eo pertinent, quod nonnulli defectu illius tetanum male pro catalepſi habuerint, ut KLAUNIGIO *a*) accidit, alii etiam catalepſin perperam definierint, præſertim BILFINGERUS *b*), cui catalepſis eſt convulſio tonica ſine rigore. Riget profecto quivis muſculus (ni de voce quis litigare amet) in contractione ad voluntatis arbitrium facta, plus etiam, ubi violente convellitur. Qui ergo accidit convulſio ſine rigore? Vereor, ut quiſquam aſſequatur. His præmonitis ad diſcrimen catalepſim inter ac tetanum redeamus. Sunt in tetano

a) Noſoc. Charit. l. c. vid. §. 51. Hiſt. 73.

b) l. c. Sect. 2. §. 7. & 9.

tano 1mo) figuræ corporis haud amplius quatuor, infinitæ autem eſſe in catalepſi poſſunt; quippe qua homo correptus „ repente, immotus, nec ſentiens, il„ lum corporis ſtatum retinet, quem „ primo momento accedentis morbi ha„ bebat „ *a*): innumerabiles autem poſitus membrorum tum eſſe poſſe, nemo ambigit, quorum etiam numerum augeri ſinit 2do) flexilitas membrorum in catalepſi ſumma, cui mille alii ex aliis artuum poſitus conciliari poſſunt *b*), dum in tetano tanta ſæpe eſt partium immobilitas, ut frangi facilius, quam flecti, ſe ſe patiantur *c*).

§. 76.

CATOCHUS ne etiam a Tetano eſt diverſus? Ita nuper voluit SAUVAGES, etenim ipſi *d*) „ tetanus eſt morbus acu„ tus totius trunci & corporis rigiditate „ inſignis cum reſpiratione laborioſa & „ ſenſuum integritate „: contra ea *e*) „

„ ca-

a) BOERH. Aphor. de cogn. & cur. morb. §. 1036.

b) SAUVAG. l. c. Cl.6. Ord. 5. Art. 24. p. m. 414.

c) Vid. §. 22.

d) l. c. Art. 7. p. m. 29.

e) Ibid. Art. 8. p. m. 34.

„ catochus GALENI in eo diſcrepat a te-
„ tano, cujus rigiditatem imitatur, quod
„ vel 1mo chronicus ſit catochus & diu-
„ turnus, tetanus vero acutus eſt; vel
„ 2do in catocho nulla pectoris vehe-
„ mens agitatio & reſpirandi difficultas
„ obſervetur, quæ magna in tetano „.
Sed quemadmodum Cl. ille Vir amore ſyſtematici ſui ordinis ſæpe alias, ita hic etiam, lapſus eſt. Quid enim ad morbi varietatem brevis aut longa duratio facit? iſta ſane non tam diverſam morbi longi breviſque naturam, quam variam potius morbi eadem indole præditi intenſitatem, ſi cetera conveniant, arguit. Sed nec cetera conveniunt? In catocho nec pectus agitatur, nec ſpiratio læſa eſt, uti in tetano, ſenſus vero jam integri jam aboliti ſunt, qui in tetano ſemper integri: quæ ipſa proinde variæ in utroque morbo intenſitatis cauſſa, aut ſignum ſaltem, eſſe poſſunt? Videamus! Non in omni ictero alvus eſt argillacea, non in omni peripnevmonia vel dolor vel deliria adſunt, imo nec in omni tetano convulſiones clonicæ obſervantur: & tamen hæc varietas non facit diverſos morbos; cur ergo pectoris agitatio (quæ fit a convulſione clonica), ſpirationiſque difficultas, præſentes tetanum, abſentes catochum

chum ab iſto diverſum facient? Porro in ægro BURELI *a*) ſpiratio per initia fuit libera, circa mortem laborioſa, nulla alia re mutata: numquid catocho primum, poſtea tetano æger laboravit? In WHYTTII *b*) autem puella reſpiratio per paroxyſmos quaſi laborioſa fiebat, & admoto naribus oleo ſuccini levabatur. Alternusne hic tetano catochus? Mutabatne oleum ſuccini tetanum in catochum? Ludicra hæc eſſe, pace Cl. Viri dixero, ut nil de HAENII *c*) ægro a delirio deterius reſpirante adjiciam. Denique chronicus eſt catochus, acutus tetanus? ſit ita; quid autem ſemeſtri COLLINI *d*) opiſthotono, trimeſtri emproſthotono BAIONI *e*) faciet? an & hi catochi? Nemo dixerit. Verum enim vero cur SAUVAGES & non multo potius GALENUS, qui (ut ille ait) „ primus eſt, qui eam „ ſpeciem memoret, aut obſervaverit „ arguitur? Optime ad hoc cum PUIOL *f*) reſponderi poteſt; nempe 1mo) ſpaſmum univerſalem tonicum non alium, quam tetanum, ab HIPPOCRATE fuiſſe agni-

a) Vid. §. 51. Hiſtor. 75.
b) Vid. §. 5. A. n. 1. H. 9.
c) Vid. §. 98. Hiſt. 152.
d) Vid. §. 115. Hiſt. 162.
e) Vid. §. 50. c.) Hiſt. 66.
f) V. ROUX l. c. T. 28. p. 36. ſq.

agnitum, ac nuſpiam ab ipſo diſcrimen Catochum inter ac tetanum fuiſſe factum. 2do) Nec ante GALENUM, nec poſt ipſum a quoquam Auctore fuiſſe morbo dicto aliud quam tetani nomen inditum, ac ne ab iiſdem quidem, quos SAUVAGES pro catocho excitat. 3tio) Deſcriptionem GALENI *a*), quam ſub nomine catochi concinnavit, adeo eſſe parum determinatam, ut dici nequeat, acutusne ille morbus ſit, an chronicus? & a commentatoribus jam ad catalepſin, jam ad coma vigil fuiſſe relatum. Quid ni ergo SAUVAGESII ſit error, qui GALENI eſſe vel nequit, vel ignoratur?

§. 77.

Præter allatas ægritudines tetanis aliquatenus affines, ſunt & aliæ, quas nonnulli operoſe a tetanis diſcerni docuere, cujuſmodi ſunt convulſio clonica, paralyſis, rigor febrilis, &c. ſed cum hæc inter ac tetanum diſcrimen vel primo obtutu continuo deprehendatur, non eſt viſum his magnopere immorari.

LI-

a) Comment. 2. in HIPPOCR. Prorrh. L. I.

LIBER V.

DE PROGNOSI VARIA IN TETANO.

CAPUT I.

PERICULI FONTES IN TETANO.

§. 78.

Periculoſiſſimus morbus eſt tetanus; quandoquidem ad periculi magnitudinem cum ſola ejus indoles, ut ſymptomata perniciofiſſima *a*) teſtantur, ſufficiat, tum alia quoque conſpirant, videlicet cauſſarum occaſionalium quarumdam energia major, corporis tetano prehenſi ad ſuperandum eundem nativa imbecillitas, ac denique per plura evoluta ſecula ignoratus remediorum adverſus eundem efficaciorum uſus. Quæ ſingula, qua ratione periculum accerſant, in præſenti expendemus.

§. 79.

a) Vid. Caput 2. Libr. 2. Part. 1. §. 18. ſqq.

§. 79.

I^{mo} INDOLES tetani cum ſit convulſio tonica, eaque vel continens, vel remittens, vel intermittens *a*), patet, periculum abeſſe quidem nunquam, ſed majus in continente eſſe, quam remittente, & majus in hacce rurſus, quam intermittente; qua in poſtrema minus, quam in aliis, eſſe diſcriminis ipſe HIPPOCRATES *b*) obſervavit. Ubique autem periculum eſſe, vel inde colligitur, quod experientia docuit, tetanos pleroſque acutorum morborum more *c*) cito decurrere & periculoſe, paucoſque admodum eſſe chronicos *d*), atque hos ipſos, ſibi relictos, potiſſimum deſinere in mortem.

§. 80.

2do CORPUS vero Tetano obnoxium quod attinet, ſi ARETAEO *e*) fides habenda ſit, „ mulieres ſane magis, quam
„ viri, nervorum diſtentione tentantur;
„ frigidæ enim ſunt: verum ipſæ frequen-
„ tius liberantur, quoniam humidæ ſunt.
„ Quantum ad ætates attinet: pueri aſſi-

a) Vid. §. 4.
b) Ibidem B.
c) Vid. §. 5. A.
d) Ibidem B.
e) l. c.

„ due hoc morbo vexantur, ſed non „ admodum pereunt, quod illis uſitatum & familiare id vitium ſit. Juvenes „ autem rarius, quam pueri, id patiuntur, „ ſed crebrius intereunt. Viri minime. At „ ſenes inter omnes magis & eo vitio corripiuntur, & eo necantur: in cauſſa eſt frigiditas & ariditas ſenectæ, & mortis natura. Ceterum ſi frigiditas cum humido „ conjungatur, minus noxiæ ſunt convulſiones, minuſque ab ipſis diſcrimen „ impendet „. Hæc ille. Quis autem crederet, a tam claro tamque veraci alioquin Auctore tot falſa potuiſſe proferri dogmata, quot pene ſententiæ ſunt? Alibi *a*) jam oſtendi, tetanum ſenibus, ſi obſervationes conſulantur, haud tam frequentem eſſe, ac ARETAEUS quidem voluit: hic vero & illud per obſervata oſtendendi locus eſt, tetanum ætati primæ eſſe præ aliis omnibus, quemadmodum frequentiſſimum, ita &, contra quam ARETAEUS aſſerit, plerumque lethalem, ac tanto id quidem magis, quo ab nativitate abſunt minus. Et de neonatis tanta ARETAEO teſtium nubes imminet, ut ne effugio quidem ſit locus: numeroſos in Helvetia e triſmo perire HOFERUS *b*) vidit,

a) Vid. §. 66. n. 1.

b) Ibidem.

vidit, nullo partus, virium, &c. diſcrimine; in Hiſpaniola inſula dimidius pene infantum recens natorum numerus hoc eodem affectu jugulatur; HYAC. ANDREAS *a*) in 20 annorum praxi vix 6 infantes ex eodem evaſiſſe vidit; imo quoſquos FRIDERICIUS *b*) triſmo correptos novit, vix ullus eorum diei 4to ſupervixit. Neque etiam ex omni numero id ætatis infantum triſmo affectorum plures, quam unicum, & BRENDEL *c*) & CHALMER *d*), licet diſſitis in locis medicinam fecerint, ſervatum meminere. Quid quod STORCH *e*) nullum prorſus recens natorum, qui morbum hunc ſuperaſſet, ſibi innotuiſſe affirmet? In Cayenna inſula ſane adeo nullum eorum evadere teſtatur BAION *f*), ut incolæ triſmum neonatorum pro abſolute lethali habentes omnia quæque remedia therapeutica reſpuant, quæ etiam reapſe irrita prorſus nunquam non eſſe BAION *g*) eſt expertus. Neque etiam multo plures paulo adultioris ætatis infantes, ac pueri puellæque teneriores, emerſere, præter

Q 2 CAR-

a) l. c.

b) Commerc. Norimb. T. 4. A. 1734. Hebd. 6. §. 3. p. 42.

c) Vid. §. 96. Hiſt. 151.

d) Vid. §. 107. Hiſt. 154.

e) v. BÜCHNER. l. c. A. 1727. Septembr. Cl. 2, Art. 4. §. 3. p. 254.

f) l. c. p. 408.

g) Ibidem.

CARDANI *a*) puellum 17. menſium, P. SAL. DIVERSI *b*) quadrimeſtrem, WEPFERI *c*) puellam novennem, paucoſque alios. Ex his patet, quantum a vero aberrarit, veraciſſimus alioquin, ARETAEUS in prognoſi tetani circa infantes, tametſi de ceteris ætatibus nihil alieni protuliſſet. Sed neque in feminis forte felicius inſtituit prædictionem: nam ſiquæ ſunt hyſtericæ, atque ob eam rem in graviorem labuntur tetanum, perinde plerumque intereunt, ut ægrarum ECCLESII *d*), HAENII *e*), DETHARDINGII *f*), WHYTTII *g*), &c. eventus liquido eſt documento: ſeductus forte ARETAEUS fuerit verbis HIPPOCRATIS *h*) dicentis: „ minore ſunt periculo, quorum naturæ & „ ætati & habitui & anni tempeſtati mor„ bus magis cognatus fuerit, quam qui„ bus in horum aliquo minime cognatus fuerit. „.

§. 81.

3[tio] CAUSSA *occaſionalis* multum periculi magnitudinem pro ſua indole augere ſolet, atque ut alias procatarcticas cauſ-

a) Vid. §. 51. Hiſt. 72.
b) Vid. §. 66. n. 1. H. 139.
c) Vid. §. 5. B. n. 4. Hiſt. 13.
d) Vid. §. 47. Hiſt. 56.
e) Vid. §. 43. Hiſt. 49.
f) Vid. §. 37. Hiſt. 23.
g) Vid. §. 5. A. n. 1. Hiſt. 9.
h) Sect. 2. aph. 34.

cauſſas prætercam, ſolam, quæ ſummum morbo periculum addit, ſcilicet vulnera, adduxiſſe ſufficiet. „ Vulneri convulſio ſu-„ perveniens lethale „ inquit HIPPOCRATES *a*) ; non ſemper id quidem, at plerumque: ſic enim & alii Veteres hoc effatum COI accepere, & quidem AURELIANUS *b*) „ liberari . . . (inquit) ex „ his omnibus (tetanis) difficile ægro-„ tantes, ſi in vulneribus ſpaſmus emer-„ ſerit „. Perinde ARETAEUS, de variis tetanorum generibus prius locutus, poſtea „ cauſſæ autem iſtorum (ait) „ infinitæ ſunt: nam ob vulnera fieri ſo-„ lent, membrana aut muſculis aut ner-„ vis punctis, ex quo plerumque mori-„ untur; a vulnere enim convulſio letha-„ lis eſt. Convellitur autem & ex abortu „ mulier; verum & hæc raro admodum „ evadit „. Et alibi *c*): „ ſi ex vulne-„ re convulſio facta ſit ; perniciofum „ profecto id eſt, ægreque de ſalute „ ſperari poteſt ; nihilominus tamen o-„ pem ferre decet: quandoquidem non-„ nulli & adhibitis remediis mortem evi-„ tarunt „ quemadmodum ægri BILGUERI *d*), BISSETI *e*), CARTERI *f*), CLE-

a) Sect. 5. Aphor. 2.

b) l. c.

c) De morbor. acutor. curat. L. 1. C. 6.

d) Vid. §. 54. n. 3. Hiſtor. 116.

e) Ibid. n. 2. Hiſt. 99.

f) Vid. §. 125. H. 176.

PHANII *a*), DELAROCHII *b*), FARRII *c*), GOCKELII *d*), HOECHSTETTERI *e*), HUCKII *f*), MONROI *g*), PARAEI *h*), SILVESTRI *i*), WHITII *k*), ZANETTII *l*), SCHMUCKERI *m*), STORCHII *n*), &c. Verum quam rara id genus exempla ſint, vel inde colligitur, quod e 13. ægris, quos a vulnere triſmum paſſos vidit HUCK *o*), haud plures duobus evaſerunt, & e 40 aliis, quorum MONRO *p*) meminit, 39. perierunt; vix ullum evaſiſſe vidit THEDEN *q*), antequam opii largus uſus adverſus hunc morbum in Germania innotuiſſet; imo omnes, quos PACHEQUUS *r*) vidit, fatis ceſſerunt.

§. 82.

---

a) Vid. §. 124. Hiſt. 170.
b) Vid. §. 136. Hiſt. 193.
c) Vid. §. 124. Hiſt. 173.
d) Vid. §. 54. n. 2. H. 98.
e) Vid. §. 112. H. 160.
f) Vid. §. 124. Hiſt. 172.
g) Vid. §. 136. Hiſt. 192.
h) Vid. §. 149. Hiſt. 210.
i) Vid. §. 164. Hiſt. 222.
k) Ibid. Hiſt. 223.
l) Vid. §. 117. Hiſt. 165. ſq.
m) Vid. §. 164. H. 220.
n) Vid. §. 54. n. 3. H. 102.
o) Med. Bemerk. und Unterſuch. einer Geſellſch. von Aerzt. in London. 3. Band n. 31. p. 276.
p) Neue Medic. Verſuch. und Bemerk. von Edinb. 3. Band. n. 30. p. 520.
q) Neue Bemerk. und Erfahrung. zur Bereicherung der Wundarzn. 1. Th. 24. Abſchn. p. 159. ſq.
r) Vid. §. 54. n. 2. H. 94.

§. 82.

4to REMEDIA denique adverſus tetanum efficaciſſima noſtra primum ætas bina reperit, nimirum opium valida doſi; quod circa A. 1749. SILVESTER *a*) primus tentavit, feliciterque poſtea ſecuti ſunt alii *b*): tum mercurium, cujus uſum in tetano A. 1766. D. MONRO *c*) publici juris fecit. His binis remediis numeroſi mortales jam ab interitu e tetano ſunt vindicati, quæ ſi lapſa ante nos tempora cognoviſſent, plurimis eorum ſaluti erant futura, quos morbi vis ſine his oppreſſit: atque utinam vel hodiedum, poſtquam detecta ſunt, non a plurimis in perniciem infelicium ægrorum ignorarentur.

a) Medic. Bemerk. von Aerzten in London 1. Band, n. 1.

b) Vid. §. 124.

c) l. c. ad (p) §. præc.

CAPUT II.

LETHALIS TETANI INDICIA.

§. 83.

Quæ hic ſymptomata, ut lethalia, in medium adferentur, non eatenus accipienda ſunt, quaſi, ubi apparuere, inevitabile prorſus exitium ægris portendant, ſeu abſolutam (ut ajunt) lethalitatem; ſiquidem hodie, ubi opii mercuriique & aliorum efficacium remediorum adverſus tetanum uſus innotuit, illa non multum formidentur: ſed tantummodo, ſi morbus naturaque ægri ſuo relinquantur fato, aut non ſatis valentia adhibeantur præſidia, quid tum ab id genus morbi phænomenis apparentibus plerumque eveniſſe multas per ætates obſervatum ſit, expediam. Nunquam non in tetanis damnabantur ſymptomata ſequentia:

§. 84.

1mo DELIRIUM *clamoſum*, præſertim poſt prægreſſam aphoniam. Damnavit hoc ſymptoma COUS velut lethale (ut paulo poſt verba ejus dabo), nec abs

abs re, confirmant enim hanc triſtem prognoſin ægri DETHARDINGII *a*), HAENII *b*), LUPINI *c*), KUNDMANNIque *d*). In WINSLOWII *e*) tamen ægro perniciem procul dubio opium larga doſi exhibitum avertit.

§. 85.

2do INGESTA *per nares redeuntia*. Tetanus, teſte HIPPOCRATE *f*) „ cum „ lethalis fuerit, potus & edulia, quæ „ prius (æger) devoravit, per nares „ interdum exeunt „. Eadem alibi *g*) quoque repetiit: „ cum (æger) morti „ eſt proximus, potionem, ſorbitionem, „ & pituitam per nares rejicit „. Expertus eſt hoc omen COI æger, cui jaculum circa cervicem vulnus inflixit *h*), neque ſecius ægræ HAENII *i*) & SCHMUCKERI *k*).

§. 86.

3tio RESOLUTIO tetani in acme, citra criſin aut metaſtaſin, aut aliam manifeſtam

a) Vid. §. 37. Hiſt. 23.
b) Vid. §. 98. Hiſt. 152.
c) Vid. §. 52. Hiſt. 83.
d) Vid. §. 54. n. 1. H. 91.
e) Ibid. n. 3. Hiſt. 103.
f) De dieb. judicator.
g) De morbis L. 3.
h) Vid. §. 54. n. 1. H. 87.
i) Vid. §. 43. Hiſt. 49.
k) Vid. §. 50. b.) Hiſt. 65.

feſtam ac ſufficientem rationem, præſertim in paralyſin deſinens, HIPPOCRATES *a*) „ in nervorum diſtentionibus „ (inquit), & iis, quæ in poſteriorem partem fiunt, diſſolutæ maxillæ „ mortem afferunt. Quin etiam lethale „ eſt in poſteriorum partium diſtentione „ ſudare & corpus diſſolvi, ac in eodem „ malo per nares revomere; aut ubi per „ initia vox defecta fuit, clamare aut nugari: poſtridie enim affuturam mortem „ ſignificat „. Non hic maxillæ luxationem, ut voluiſſe DURETUM alibi *b*) dictum, ſed ſpaſmi ſolutionem intellexiſſe COUM, ex ulterioribus ejus verbis, queis „ ſudare & corpus diſſolvi „ damnat, abunde liquet; quis enim & hic „ corpus luxari „ verterit? ſi vero hic non, cur ibi magis? ſed & obſervata clinica veritatem rei evincunt. Singularis plane hanc in rem caſus in HAENIO *c*) habetur, alibi referendus. Præterea FORESTI *d*) & HAENII *e*) ægræ ſub mortem, triſmo decedente, os aperiri potuit. CHALMER *f*) quoque prope mortem pleraſque rurſum partes relaxari obſer-

a) Coac. Prænot. N. 361.
b) Vid. §. 19.
c) Vid. §. 140. Hiſt. 200.
d) l. c. Obſ. 112. Schol.
e) Vid. §. 43. Hiſt. 49.
f) l. c. p. 93.

ſervaverat. Interea ſymptoma hoc ut ut formidabile ſemper ſit, non tamen ſemper lethale, velut BAION a) in æthiope fuit expertus, qui 12mo pleuritidis ſputis judicatæ die poſt veſpertinam unius horæ ſuper vallo mari obverſo deambulationem ſomno ſe dedit, quem nocte procedente motus convulſivi oborti ademerunt. Poſtera die inquieto ægro data potio oleoſa cum gtt. aliquot anodynis vix jam deglutiri potuit, ac paulo poſt totus obriguit. Lapſo bihorio remittente inſigniter artuum utrorumque ſpaſmo rigor maxillæ, colli, ac ſpinæ reſtitit, cum laborioſa deglutitione. Cum autem appetitus a priore morbo adhuc non redierit, ac levis vomendi adeſſet conatus, cúm lingua ſemper obſeſſa, data in binis aquæ Caſſiæ hauſtibus ♀ ſtibiati gr. iij. quorum uno mox, at ſumma cum difficultate, ſumto triſmus adeo increvit, ut os prorſus clauſerit. Muſculis omnibus fomenta oleoſa admota, dorſum unguento Alth. & Popul. perfrictum, oleoſa potio, quanta deglutiri poterat, data; ſed ejus, uti & vini, pauxillum tantum deglutiit, ceteros vero potus ori inditos, nec gutta demiſſa, continuo rejecit. Status hic duravit quatriduum, ſine ullo ſomno, *Hiſt. 144.*

æger

a) l. c. p. 500. Obſ. 3.

æger aphonos cum pulſu parum lentiore, ac ſudore totius fere corporis viſcido, perpetim ac vehementer agitabatur, ad conſpectum ac lamenta cariſſimorum ſibi inſenſilis viſus. Quinto die omnibus corporis partibus rigor ſupervenit, admodumque crevit. Alvus ex toto clauſa adeo, ut ne enemata quidem complura injecta reddiderit. Exacto biduo tetanus toto quidem corpore deceſſit, pulſu amplo, libero, celerique reddito; at æger comatoſus inſenſiliſque jacens præter vinum omnia ore rejecit: enemata nihilominus optime operabantur. Cum res toto triduo ita duraſſet, ſudorumque vis ac debilitas creſcerent, 4to die data Kermetis gr. jv. ex infuſi cochl. ij. unde $\frac{1}{2}$ hora poſt quinquies aut ſexies ſpiſſam ac vitellinam bilem nullo labore vomuit, ac paulo poſt loqui cœpit, ſudore adeo increſcente, ut 12 horar. ſpatio induſium decies mutandum fuerit, a quo ſic levatus eſt, ut eodem veſpere loqui, ſurgere, & ambulare ad omnium ſtuporem quiverit. Inde ſemper in melius proficiens, ac ſæpius purgatus, poſt menſem convaluit. At *paralyſis* ſemperne lethalis eſt? Ne hæc quidem, licet rara fortuna, ut

Hiſt. 145. in puella varioloſa HAENII *a*), cui ubi

4to fe-

a) Rat. Med. Part. 2. C. 6.

4to febris die variolæ confertim ubique erupiſſent „ 5to die linguæ ac maxillæ „ ſpaſmus tetanusque adfuit per $2\frac{1}{2}$ ho„ ras, eoque ſoluto earumdem 4 ho„ rar. ſpatio paralyſis: poſtea ſine ul„ lo ſuperſtite vitio hæc ſymptomata „ ceſſarunt „. Obiit quidem ægra, at 13^{tio} die e variolis malignis. Perinde pharmacopæo apud DUFAU *a*) hemiplegia neutiquam fuit lethalis, qui ad 66 annos habens, pituitoſus, diuturnis chronicis malis exhauſtus, hora 3^{tia} a prandio concidit, ſenſibus privatus, omnibuſque membris ferreæ perticæ inſtar rigidis; muſculi faciei, oculorum, ac palpebrarum perinde obriguere, pulſus parvus lentuſque vix percipiebatur, cum reſpiratione interrupta ac ſtertoroſa. Poſtea occepere vehementiſſimæ convulſiones; horribilis in iis labiorum contorſio, oculorumque, color cadaveroſus, inflata facies, adeo horrendum præbuere ſpectaculum, ut multi ejus ab aſpectu ſe abſtinuerint: os tamen ſpuma caruit, nec lingua dentibus conciſa; at deglutitio ne liquidorum quidem erat poſſibilis. Urinæ ſtupenda vis reddita; reſpiratio vero, pulſuſque, ut ante. Poſt $\frac{1}{4}$ horæ convulſioni huic ſucceſſit univerſi corporis atonia, ſed toto latere cor-

Hiſt. 146.

a) ROUX l. c. T. 31. p. 337.

corporis dextro notabilior: caput, ſi levatum, illico vi ſolius gravitatis relabebatur; dexter oris angulus, ut hemiplegicis, ab antagoniſtis muſculis diſtortus; reſpiratio toto atoniæ hemiplegicæ tempore liberrima; pulſus finita convulſione primum, ut ante, debilis, minuto poſt tamen plenus, celer, duruſque; æger vero adeo erat ad quaſcunque corporis vexationes inſenſilis, ut non niſi leviſſima ſenſus indicia daret. Oculi ei ſemiclauſi, ſopor profundiſſimus, clamore, agitatione, imo pungendo vix interrumpendus. Ubi circ. $\frac{1}{2}$ horam hemiplegia hæc duraſſet, convulſiones priſtinæ eodem ordine rediere. Poſt has atonia denuo: atque hæc & illæ adeo ſæpe alternarunt, ut circ. 5. horar. tempore ſexies cum iisdem ſemper phænomenis adfuerint; donec tandem convulſiones prorſus diſparuiſſent, perſtante atonia, quam ipſam etiam natura & ars ſuperarunt. Namque uſu enematum ſtimulantium, errhinorum, veſicantiumque omnibus pedetentim membris vires rediere: æger ante 11mam noctis horam & voce & ſenſibus recuperatis non niſi de gravativo capitis dolore ac debilitate queſtus eſt. Supererat quidem adhuc hilare admodum delirium, ſed ſenſim etiam evanuit, ægerque ad priſtinam

ſuam

ſuam, quam ætas ac inveterata mala admiſerant, valetudinem rediit. Contra ea RIVERIUS *a*) meminit ſexagenariæ a 15 annis dyſpnœam paſſæ, quæ ineunte Januario iter in auſtro ac pluvia faciens incidit in maxillæ tetanum, cum augmento dyſpnœæ, ac tumore genæ dextræ. Eriſypelas ulceroſum, quo a multis annis per intervalla in tibia læva corripi ſolebat, & quod ante triſmi invaſionem perinde tum habuerat, nunc repente 8va die morbi ſiccatum apparuit, qua Medicus eſt accitus. Pulſus erat inæqualis, ac 3tio 4tove ictu intermittens. Tumore genæ paucis poſt diebus reſoluto triſmus manſit. Diei 15tæ mane palpebra dextra paralytica oculum texit, a meridie levis apoplexia ſecuta, quæ bihorio poſt in hemiplegiam lateris lævi deſiit, ac triduo poſt ægra obiit, facta pridie reſpiratione ſtertoroſa. HUCK *b*) pariter teſtatur uni tetanicorum ante mortem paralyſin acciſiſſe, quos ipſe ex hoc morbo perire vidit. Neutiquam autem hujus loci eſt paralyſis cum tetano maxillæ in virgine a SPRY *c*) obſervata.

Hiſt. 147.

Hiſt. 148.

§. 87.

a) Cent. 2. Obſ. 77.
b) l. c. p. 277.
c) Vid. §. 155. Hiſt. 215.

§. 87.

4to SUDOR *viſcidus* ac *frigidus*, plurimus, niſi in calidum roridumque mutetur, certum fere portendit exitium. Sic HAENII *a*) figulo ſub mortem ſudor evaſit viſcidus; qui tamen, niſi frigidus ſimul ſit, non ſemper eſt abſolute lethalis: quippe quem BAIONI *b*) æthiops expertus nihilominus mortem effugit: at quo frigidior eſt ſudor, eo exitium propius imminet, velut in BAIONI æthiope femina *c*), tum Germana *d*), ac milite *e*) manifeſto accidit. Quodſi vero viſcidus hic & frigidus ſudor in roridum calidumque mutetur, ſalutare præbet omen, quemadmodum in FARRII *f*) nauta evenerat.

§. 88.

5to CONVULSIONES *clonicæ* vehementiores, ſub quibus plerumque tetanici moriuntur, ut & STORCH *g*) & CHALMER *h*) & HUCK *i*) obſervarunt, & in SCA-

a) Vid. §. 98. Hiſt. 152.
b) Vid. §. 86. Hiſt. 144.
c) Vid. §. 59. Hiſt. 121.
d) Vid. §. 47. Hiſt. 55.
e) Vid. §. 62. Hiſt. 131.
f) Vid. §. 124. Hiſt. 173.
g) Dritt. Medicin. Iahrgang 1723. Maj. Art. 3. n. 8. p. 290.
h) l. c. p. 93.
i) l. c.

SCAMANDRO *a*), ægrisque Annalium Wratisl. *b*), BINNINGERI *c*), KUNDMANNI *d*), SALTZMANNI *e*), WAHRENDORFFII *f*), & STÖRCKII *g*) accidit. Haud tamen ſemper id obtinet; ægra enim ECCLESII *h*) placide, ægra vero HAENII *i*) jam poſt convulſiones, exſpirarunt. Porro non ſemper convulſiones clonicæ funeſti ſunt ominis, dum nimirum aut leviores ſunt, aut in unam tantum partem ſæviunt, velut in caſibus BIERLINGII *k*), BILFINGERI *l*), SWIETENII *m*), WATSONI *n*), aut graves quidem ac totius ſunt corporis, ſed tempeſtive ſeu opio, ſeu mercurio, ſeu alii efficaci remedio cedunt, uti in ægris MONROI *o*), DELAROCHII *p*), CARTERIque *q*) evenerat: alioquin vero potiſſimum ad mortem ducunt, quod ægri ALBRECHTI *r*), HAENII *s*), MAT. de CILA-

---

a) Vid. §. 54. n. 2. H. 95.
b) Ibid. n. 1. Hiſt. 90.
c) Ibid. n. 3. Hiſt. 104.
d) Ibid. n. 1. Hiſtor. 91.
e) Vid. §. 60. Hiſt. 123.
f) Vid. §. 55. Hiſt. 118.
g) Vid. §. 51. H. 81.
h) Vid. §. 47. Hiſt. 56.
i) Vid. §. 43. Hiſt. 49.
k) Vid. §. 3. B. n. 2. Hiſtor. 4.
l) Vid. §. 4. B. Hiſt. 7.
m) Vid. §. 50. d.) H. 69.
n) Vid. §. 115. Hiſt 214.
o) Vid. §. 136. Hiſt. 192.
p) Ibid. Hiſtor. 193.
q) Vid. §. 125. Hiſt. 176.
r) Vid. §. 54. n. 3. H. 103.
s) Vid. §. 43. Hiſt. 49.

CILANO *a*), WEPFERI *b*), & SCAMANDER *c*) exitu ſuo confirmarunt.

CAPUT III.

CRISES ET METASTASES TETANUM SOLVENTES.

§. 89.

Solvitur tetanus vel ſolis vitæ viribus per criſin aut metaſtaſin, vel artis auxilio, quæ alias vitæ vires in criſi aut metaſtaſi adjuvando, alias etiam citra ullam ſeu criſin ſeu metaſtaſin tetanum varie tollit. De arte poſtea: nunc ſolius naturæ ſalutares conatus diſpiciemus.

§. 90.

CRISES in tetanis locum habere negat CHALMER *d*), ſed a ſolis remediis morbi ſolutionem exſpectat. Verum quidem eſt, ſi, quæ de variis acutorum tetanorum periodis exempla attulimus *e*), cura-

a) Vid. §. 54. n. 1. H. 89.
b) Vid. §. 39. Hiſt. 30.
c) Vid. §. 54 n. 2. Hiſtor. 95.
d) l. c. p. 94.
e) Vid. §. 5.

curatius expendantur, nullos certos hoc in morbo *dies criticos* repertum iri; nullum non diem pene ibi videre eſt, quo morbus vel non confeciſſet ægrum, vel non ceſſiſſet. Atque id ipſum morbis nervorum eſt univerſim commune. Interea non inficiandum eſt etiam, criſes duplicis eſſe generis, alias, quæ materiam morbi, febris ope ſubactam, mutatam, ſeu, ut ajunt, coctam eliminant; atque hæ ſunt, quæ ſtatis diebus (quidquid aliis ſecus videatur) contingunt: alias vero, quæ vel materiam morbi ſeu crudam ſeu coctam, vel alium quemcunque humorem bonum e corpore exturbando morbos, citra ullam ſæpe febrem, ſolvunt; atque hæ quocunque morbi die accidunt. Sic nymphomania nimiis menſibus, intermittentes lochiorum fluxu, vertigo ptyaliſmo, cephalæa narium hæmorrhagia, vomitu, alvo, excretione aquæ, puris, vermium per nares, quocunque tempore ſolvi ſunt obſervatæ: idem in epilepſia & paralyſi eſt viſum. Unde in tetano quoque utrumque locum habere poteſt: ſi enim febris illi ſupervenerit ſalutaris, criſes certis diebus poſt coctionem evenire poſſunt, ita ut critici hi dies non tetani ſed febris ſint ſoboles: ſin minus, evacuatio ejus, quod morbum vel produxit,

vel ſolvere poteſt, quocunque die conducet. Salutares id genus evacuationes in tetanis ſunt

§. 91.

I^mo HAEMORRHAGIAE. Virgini ECCLESII *a*) a ſuppreſſis ob mœrorem catameniis tetanum intermittentem paſſæ cum vice quadam poſt injectum catharticum enema ſanguinis ℔ij. alvo intra biduum redditæ fuiſſent, ulteriorque fluxus enematis adſtringentibus impediretur, illico recidivam eſt paſſa longe vehementiorem, quæ tandem peſſima quæque ac mortem demum poſt ſe traxit. Contra vero hæmorrhoidum fluxus quam ſalutaris ſubinde fuerit, primum in GOCKELII *b*) ægro triſmum paſſo; tum in COLLINI *c*) opiſthotonico eventus docuit.

§. 92.

2do ABSCESSUS *faucium*, ſi tetanum maxillæ induxit, *ruptus* effuſo pure plerumque eundem ſolvit, ut FORESTUS *d*), ac HAENIUS *e*) teſtatum reliquere.

§. 93.

a) Vid §. 47. Hiſtor. 56.
b) Vid. §. 54. n. 2. H. 98.
c) Vid. §. 115. Hiſt. 162.
d) Vid. §. 158. Hiſt. 217.
e) Vid. §. 159. Hiſt. 219.

§. 93.

3tio ALVUS *fluxa*, cum febre præſertim, tum ut ſignum ſpaſmi remittentis, tum ut morbi cauſſam evacuans, eſt ſalutaris; etenim COO *a*) teſte „ convulſiones derepente ortas febris ſolvit, ac alvi fluxus „: quod quanto cum fructu non raro ars imitetur, videbimus poſtea *b*).

§. 94.

4to URINA vero in tetano critica illa plerumque eſt, quæ copioſe redditur cum contento mucoſo *c*), ſemen genitale vel pituitam vitream dictam referente, de qua HIPPOCRATES *d*) „ febres cum poſteriorum partium diſtentione urinæ genitale ſemen referentes ſolvunt „. Item *e*) „ confert autem (in ſpaſmo) & urinæ vitreæ copioſus pertranſitus, & alvi fluxio, & ſomnus „. Licet alibi *f*) quamcunque urinam, quæ coctionem præſefert, ſi febris ſimul adſit, ſaluta-

a) Coac N. 358.
b) Vid. §. 106. ſqq.
c) Vid. HAEN Rat. Med. P. 10. C. 4. §. 6. n. 16.
d) l. c. N. 362.
e) Ibid. N. 358.
f) De rat. vict. in morb. acut.

lutarem eſſe pronunciet, nimirum dum, „ niſi febris & ſomnus acceſſerit, & „ quæ conſequuntur urinæ concoctæ, „ ſudoreſque judicatorii prodierint „ morbum remediis oppugnari jubet. Pertinet
Hiſt. 149. ne ad harum aliquam urina Patricii apud BENEDICTUM *a*) opiſthotono ad 40 diem uſque graviter detenti, qui „ per „ urinam humore lacteo reddito levatus „ eſt, cui caſtoreum præcipuo fuit reme-
6 „ dio „ ? fuitne genituræ aut pituitæ vitreæ ſimilis? Sed mirum eſt demum, urinam arenuloſam, quæ in aliis acutis morbis adeo lætam dat prognoſin, ſæpe in deſperato etiam morbo, in HAENII *b*) figulo, etſi diu & copioſe redderetur, ſpem fefelliſſe: num ob defectum quorumdam criteriorum, quæ in eadem Cl. KLINKOSCH *c*) requirit?

§. 95.

5to SUDOR denique, at vix unquam citra febrem, calidus, non viſcidus, non interruptus, morbum ſolvit, atque hæc frequentiſſima eſt criſis in tetano, qua

---

a) Anat. L. 5. C. 16.
b) Vid. §. 98. Hiſt. 152.
c) V.W. TICHY Diſſ. inaug. de arenulis in lotio 3. Pragæ 1774.

qua judicati ſunt ægri CORNACIS *a*), PUIOLI *b*), SAUVAGESII *c*), S. H. d' AMBON *d*), ZANETTII *e*), &c. & chronicos emproſthotonos eadem plerumque judicari vidit BAION *f*). Quod ſi breviore, quam par eſt, tempore, nec uſque dum prorſus ſpaſmus decedat, duret, notat irritum naturæ conatum, quemadmodum apud BAION *g*): æthiops femina enixa eſt fœtum mortuum unum, alterum vivum; hunc Cl. Auctor data opera indies ſæpius exploravit, indiciorum triſmi ergo. Nocte 7um diem præcedente tota ploravit, ubera reſpuit. Mane, etſi os ſecundum naturam patulum, totumque corpus eſſet flexibile, tamen ob triſmi imminentis metum balnea aquæ tepidæ per 2.3.ve horas imperata, exemtuſque æger poſtea toto corpore perfrictus oleo. Cumque deglutitio non omnis intercepta eſſet, oleum amygd. cum ſyr. Diacod. omni trihorio quantum ſumere infans poſſet, datum: injecta enemata emollientia. Nihilo tamen ſecius die 10ma maxillæ coivere vix non in integrum, & truncum opiſthotonos flexit: deglutitio facta difficillima. *Hiſt. 150.*

R 4 Con-

a) Vid. §. 44. Hiſt. 52.
b) Vid. §. 130. Hiſt. 180.
c) Vid. §. 49. A. b.) H. 62.
d) Vid. §. 140. Hiſt. 197.
e) Vid. §. 177. Hiſt. 166.
f) l. c. p. 506.
g) l. c. p. 416.

Continuata balnea & embrocationes oleoſæ. Morbus ad 5^{tum} uſque diem continenter crevit, tumque univerſum corpus convulſivi motus corripuere, poſt quos largiſſimus erumpens ſudor ſpaſmum toto corpore inſigniter minuit: æger os facillime aperuit, ac ſat commode deglutivit, quin tamen ſurgere valeret. Remediis prioribus additum lene diaphoreticum; ſed incaſſum: manſit ita infans ad 8^{vam} diem, qua poſt novas convulſiones cum triſmus tum opiſthotonus reverſus cum deglutitione prorſus intercepta ægrum ineunte die 9na jugulavit. Hinc recte COUS *a*) „ ſi-
„ gna judicatoria (inquit), quæ nihil
„ decernunt, partim mortem, partim
„ difficilem morbi ſolutionem ſignifi-
„ cant „.

§. 96.

METASTASES porro, ut ut raræ, obſervatæ nihilominus, eæque perinde aut beneficio febris, aut ſine hac etiam. BRENDELIUS *b*) de tetanis recens natorum plerumque lethalibus differens „ ex
Hiſt. 151. „ pluribus (inquit) unum puſionem aſſertrix natura ſervavit, cum acceſſiſſet
„ vehe-

a) Epidem. L. 2. Sect. 1. FOES. T. 2. fol. 999.
b) l. c. §. 5.

„ vehementior febris, ſubortis deinde „ per omne corpus ulcuſculis ſcabiei inſtar, & favis per faciem & caput „. Superius *a*) autem tumore femorum cum copioſa urina ſubſequente, citra febrim, ut videtur, morbum judicatum retulimus e STORCHIO.

CAPUT IV.

FEBRIS TETANO SUPERVENIENS LETHALIS NE, AN SALUTARIS?

§. 97.

Quoniam teſte HIPPOCRATE *b*) „ convulſioni febrem advenire præſtat, quam convulſionem febri „: nullum eſt dubium tetanum febri ut ſymptoma ſupervenientem nunquam non eſſe formidabilem, & niſi vel exanthema erumpens eum ſolvat, ut in REGENHERTZII *c*) juvene, ac VOGELII *d*) ægris, vel illo orto febris deſinat, velut in ægro Varſavienſi *e*), BILGUERIque *f*) contigit, & perinde in CAR-

a) Vid. §. 46. Hiſt. 54.
b) Sect. 2. Aphor. 26.
c) Vid. §. 51. Hiſt. 79.
d) Ibid. H. 76. 77. 78.
e) Vid. §. 130. Hiſt. 182.
f) Vid. §. 54. n. 3. H. 116.

DANI *a*) infante, ac viro KLAUNIGII *b*) accidiſſe videtur, plerumque lethalem, quod in exemplis variis videre eſt. Verum ubi tetano febris ſupervenit, quid ominis adfert? Reponit COUS *c*): „ ſi diſtentio „ aut convulſio detineat, febrem ſuper- „ venire bonum „. Imo alibi *d*) diſertius etiam: „ ſi cui convulſione aut „ diſtentione nervorum detento febris „ ſucceſſerit, morbum ſolvit „. Quod & alio loco *e*) repetit: „ convulſiones „ (inquiens) & nervorum diſtentiones „ ſuccedens febris ſolvit „. Perindene autem eſt, cujuſcujuſmodi febris hæc fuerit? Haud quaquam, acutam eſſe vult HIPPOCRATES *f*) „ convulſionem (in- „ quit ille) ſolvit febris ſuccedens acu- „ ta, quæ prius non aderat, aut, ſi pri- „ us adfuit, ingraveſcens „.

§. 98.

At AURELIANUS *g*) juratus HIPPOCRATIS carptor febrim tetano ſupervenientem haud ſecius damnat, ac tetanum media

---

a) Vid. §. 51. Hiſtor. 72.
b) Ibid. Hiſtor. 73.
c) De morbis L. 1. FOES. T. 1. fol. 449.
d) Sect. 4. Aphor. 57.
e) Coac. N. 354.
f) Ibid. N. 358.
g) l. c. Cap. 6.

media in febre ortum. Nam „ ſi ſine febribus ſpaſmus irruerit (inquit), „ facilius liberantur: febrem vero ſecundum HIPPOCRATEM in ſpaſmum venientem ſalutarem accipimus, ſpaſmum autem in febrem perniciosum: quamquam ejus excludant ſententiam, dicentes, quia ſecundum ipſum febres corpora gravant, multo magis geminant incommodum, cum vehementibus doloribus. Laxat enim, inquiunt, tumorem naturalis ac mediocris fervor, febrium vero acer & contra naturam immodicus vexat. Quapropter ex minutione eorum, quæ paſſionis ſunt, ſpem futuræ ſanitatis melius accipimus „. Interea ratiunculas hujus Afri non moraremur, niſi experientia quoque illi ſuffragaretur: numquid vinitor BINNINGERI *a*), ubi 6ta die tetano lento, qua ipſa totus obriguit, febris continua ſupervenit, nihilominus die 7mo febris occubuit? Quid puerperæ opiſthotonicæ FORESTI *b*) febris 4to ſpaſmi die vehemens oborta ad ſalutem profuit? eadem die paucis poſt horis exſpiravit. Periit quoque, nihil opitulante febre, LUPINI *c*) adole-

a) Vid. §. 54. n. 3. Hiſtor. 104.

b) l. c. Obſ. 112.

c) Vid. §. 52. Hiſt. 88.

leſcens tetano recto laborans: periit eodem malo correpta WAGNERI *a*) puella 9no morbi die, licet 4to ſuperveniſſet febris: periit 9no pariter die emproſthotonicus HAENII *b*), quem aliquot ante diebus acuta febris invaſit. Idem exitus erat 8vo triſmi die in ejusdem Cl. Viri femina *c*), quam 4to die morbi febris prehendit. Addamus luculentiſſimum HAE-
Hiſt. 152. NII *d*) caſum: „ Simon M. annos 30
„ natus, figulino labore victum quondam
„ quæritans, colica Pictonum abeunte ac
„ redeunte adeo miſere conflictabatur,
„ ut operi huic demum valediceret, &
„ a triennio fornacum cæmentarium cœ-
„ perit agere. Die 28va April. hujus
„ anni frequentem ac moleſtam experie-
„ batur oſcitationem, vagumque ſiniſtri
„ maxillæ articuli dolorem. Die ſequen-
„ ti ſacram peregrinationem cum uxore
„ ſuſcepturus in templo quodam Tetano
„ correptus eſt. Venaque illico ſecta,
„ ingreſſu difficiliore domum reverſus eſt.
„ Die 2da Maji, adeoque die 6 morbi,
„ in noſocomio me inter pauperes con-
„ venit, cum maxillæ tetano, ejusdem-
„ que

a) Vid. §. 61. Hiſt. 125.
b) Vid. §. 62. Hiſt. 133.
c) Vid. §. 43. Hiſt. 49.
d) Rat. Med. P. 10. C. 3. §. 1.

„ que leviore dolore, dorſi præterea in„ choante rigiditate, ac deglutitione in„ commoda; pulſu interim magno, æ„ quali, parum febrili, alvo deficiente. „ Suaſi, clyſma illico injicerent, ſe„ carent in pede venam, cataplaſma ca„ lentis fimi equini maxillæ, genis, tem„ poribuſque obvolverent, & uteretur „ emulſo camphorato paregorico. Die 3tia „ Maji, morbi 7ma, melius ſibi eſſe aje„ bat, nos vero id haud ita deprehende„ bamus. Suaſi ipſi, in noſocomio ma„ neret; cum is ejus morbus non eſſet, „ qui itum reditumque in noſocomium „ admitteret. Manſit. Animus fuiſſet au„ ctoritate & exemplo doctiſſimi Viri „ WATSON in Epiſt. ad Soc. Reg. Angl. „ electrinas experiri virtutes; verum „ morbi mutata facies aliud agendum juſ„ ſit, quinque electricitatis ictibus tan„ tum adplicitis. Febris enim maxi„ ma finiente die 7ma ſe Tetano adjun„ xit, & poſt dorſi enormes dolores „ Opiſthotonos. Exinde uſque ad com„ pletos 20 morbi dies hominem hunc „ ceu CIRCES incantamentis in rigidam „ ſtatuam mutatum vidimus, dolentem, „ inquietum, ſeque vel continuo agitan„ tem, vel ab aliis moveri, centies lecto „ eximi, in eumque remitti flagitan-

„ tem.

„ tem. Frequentiſſime percipiebat pri-
„ mo in infimo ventre, deinde in ven-
„ tre ſuperiore, tandem in dorſo, ceu
„ unico de puncto, dolorem oriri, qui
„ actutum corporis cum inferiorem tum
„ ſuperiorem partem in ligneam duriti-
„ em dolentiſſimo cum ſubſultu tenderet.
„ Deglutitio toto illo tempore raro im-
„ poſſibilis, plerumque plus minus diffi-
„ cilis. Per omnem fere morbum pul-
„ ſus plenus, vibrans fortiter, durus ple-
„ rumque ac celer, poſt 12 libras ſan-
„ guinis ſemper inflammatiſſimi in 8.
„. V. S. detractas vix unquam modera-
„ tior. Alvus ipſi ſæpe globuloſa, o-
„ villorum ſtercorum inſtar., ſæpius ta-
„ men pulmento ſimilis. Venter quoque
„ aſſeris inſtar durus, rigidus, & intro-
„ tractus. Perque totam ægritudinem fe-
„ re ſudor, paucior, profuſiorque, per-
„ petuus, ſub mortem viſcidus. Urinæ
„ nunquam reſpondentes aut inflamma-
„ toriis morbis, aut ſpaſmodicis; erant
„ enim ſemper coloris aut flavi aut fuſci,
„ cum bono paſſim enæoremate, & ple-
„ rumque cum arenulis ſive in fundo, ſi-
„ ve in pellicula ſupernatante, ſive ad
„ vitri latera, ſive aliquando ubique. Are-
„ nula hæc haud quidem ab initio conſpi-
„ cua fuit, verum ubi 3. 4. 6. 10. &
ſub-

„ ſub finem vitæ, ubi 20 & ultra horas
„ conquieverant urinæ, copioſior ac citi-
„ or die morbi 14[ta], poſtmodum præ-
„ ter arenulam ſpiculas multas ſplendi-
„ daſque lotium geſſit, cum levi hypo-
„ ſtaſi, pridieque mortis urina, qua æ-
„ ger aut ſola aut fecibus miſta ſeſe, le-
„ ctumque conſpurcaverat, jam denuo
„ in vitrum micta arenas trihorio poſt
„ oſtendere cœpit. In morbo toto ſo-
„ mnus paucus, iſque a paregorico tan-
„ tum, ſæpius tamen ne cum illo quidem.
„ Reſpiratio non valde mala, poſt 15.
„ diem autem admodum anheloſa, quan-
„ do ſimul ſubdelirium incepit, deinde
„ delirium, primum inconſtans, deinde
„ perpetuum, furibundumque aliquando.
„ Sæpius etiam contigit, ut in delira-
„ mento anheloſius reſpirans, mox
„ blandius reſpiraret, ſi ipſi aut loque-
„ remur, aut aliquid ingerere tentare-
„ mus, ita ut phantaſia terrifico occupari
„ objecto videretur, quod non ſic, ſi
„ parum reſipiſceret. Convulſiones clo-
„ nicas ſeu alternantes paſſus nunquam
„ eſt, neque ſub mortem, ſed validum
„ univerſumque tendinum ſubſultum.
„ Horis 26. ante mortem oculi fixi, pu-
„ pillæ dilatatæ, & ne ad admotam
„ quidem candelam vel minimum ſe con-

„ tra-

„ trahentes. Calor a die 7mo, quo in
„ noſocomium venit, ad mortem uſque
„ 101. 102. 103. grad. Remedia exter-
„ na internaque fere ea omnia fuere, quæ
„ mox in recenſenda omnium ſeculorum
„ in hoc morbo medicina enarrabuntur.
„ Venam ipſi ſecuimus octies, ſum-
„ ma ſemper urgente neceſſitate, & ul-
„ timo quidem 12mo morbi die, ſangui-
„ ne ſemper inflammatiſſimo, ſemel ite-
„ rumque tanto jactus ſubſultu, ut non
„ venam, ſed arteriam pertuſam eſſe
„ quis ſuſpicatus fuiſſet, qui ad arteriam
„ immediate venæ ſubjectam, impetuoſe-
„ que pulſantem non attendiſſet. Ulti-
„ mo morbi octiduo licet celer adhuc
„ eſſet, magnuſque pulſus, cruorem ul-
„ tra emittere non auſus, reliquis artis
„ auxiliis uſus ſum. Aquæ frigidæ affun-
„ dendæ caſus non exſtabat, quoniam
„ nec valde carnoſus erat, nec media
„ æſtas, ſed frigore varietateque. Martio
„ ſimilis Majus; quin nec caſus erat, in
„ quo ipſe, ſi adfuiſſet, HIPPOCRATES
„ frigidam affudiſſet. . . . Præterea au-
„ xiliis ad febrim generandam, prolici-
„ endumque ſudorem, in febre perpetua,
„ perpetuoque ſudore, opus non fuit. Ce-
„ terum Caſtoreum, Moſchus, Campho-
„ ra, Opium, Oleum copioſum ore aſ-
ſum-

„ ſumtum , & in anum injectum. Fi-
„ mus equinus , cataplaſmata ex rebus
„ emollientiſſimis , adjecta copia multa
„ fl. Chamom. parata. Aqua calida forma
„ balnei crurum integrorum, forma fo-
„ mentorum ventri, dorſo, collo, ma-
„ xillis admota perpetuo. Potus ſubacidi,
„ blandaque emulſa, veſicantia & epiſpa-
„ ſtica. Peruviani Corticis vires in ner-
„ vos explorandi tentamen, adhibita
„ ſunt. Obiit morbi completis 20.
„ diebus. Totus fuit a morte rigidus,
„ etiam brachiis; quæ tamen ſola fere
„ ſemper ſervaverant flexilitatem, non
„ rigiditate cadaveris, ſed inflexilitate
„ omnino inſuperabili. . . . . Cumque
„ 6ta a morte hora eadem rigiditas in-
„ ſuperabilis perſiſteret, cadaver in loco
„ admodum frigido horas 48. ſervavimus.
„ Tunc demum cadaver aperui. Rigor
„ jam multo minor, nec eo multorum
„ cadaverum ſuperior, dorſum ſi excipi-
„ as; maxilla autem diduci ſine plurima
„ vi vectis non potuit „. Anatome,
quia fuſior, in Auctore videri poteſt.

§. 99.

Funeſti omnino fuere paulo ante nar-
rati caſus, & COI doctrinæ adverſi. Ve-

rum enim vero ſunt alii lætiorem ſortiti eventum, qui & lethalium illorum rationem in ſe contineant, & HIPPOCRATIS tueantur experientiam, quales SWIETENII *a*) ac PUIOLI *b*) fuere, & ſequens WE-
Hiſt. 153. BERI *c*): „ egenus 19. ann. phlegmaticus, ſanæ faciei, plethoricus, & robuſtus ſutor . . . occupatus . . . in Aprili cum horto confodiendo humido altera hebdomade nonnunquam tenſionem rigiditatemque in pedum muſculis veſperi ſentiebat, noctuque ſomno tam profundo opprimebatur, ut parentes omni mane de illo excitare deberent. Aliquot diebus poſt . . . e quiete matutinali tempore ſuſcitato digiti ſine dolore adeo incurvati erant, ut ne maxima quidem vi extendi poſſent; ſed intra ſemi horam ſua ſponte ſeſe disjungentes mobilitatem rurſus, & ſenſibilitatem acquirerent, illeque de labore adducto non detineretur. Præterlapſis poſthac aliquot diebus rigiditatem tantam in dorſo percipiebat, ut ſe ſe in terram effoſſam, & dein in lectum, quo doloribus pedum dor-

„ ſi-

a) Vid. §. 50. d.) Hiſt. 69.
b) Vid. §. 130. H. 180.
c) Obſer. Medic. Faſcic. 2. n. 10. §. 10. p. 41. ſqq.

„ ſique tenſivis ſæpius cruciabatur, pro-
„ ſternere cogeretur. Nocte inquiete
„ peracta, altero mane vehementiſ-
„ ſimis doloribus tenſivis totum corpus
„ occupantibus, prægreſſis, ſubito per
„ horæ $\frac{1}{4}$ maxilla inferior ad ſuperiorem
„ firmiſſime adducitur, totumque corpus
„ riget adeo, ut ligni inſtar ſine motu
„ ſenſationeque cum digitis incurvatis
„ in lecto jaceret. Paroxyſmo finito di-
„ giti curvi manent, & inſenſiles, reli-
„ quum autem corpus ſatis flexile eſt, æ-
„ grotuſque de vertigine, capitiſque do-
„ loribus conqueritur. Parentes his vi-
„ ſis attoniti ſtatim ad Chirurgum con-
„ fugiunt, qui venam in brachio pertun-
„ dit, ♀que emeticum commendat.
„ Dolor ad $3^{tiæ}$ diei veſperam per inter-
„ valla auctus, & circa noctem, inque
„ iſta obrigeſcentiæ paroxyſmus bis red-
„ it. Quarto mane vocatus deglutitionem
„ ſanam, pulſum æqualem, plenum, ve-
„ nas turgidas, faciem inflatam, rubram,
„ linguam lentore obductam, tumidam,
„ ideoque paululum immobilem, oculos
„ triſtes, reſpirationem ſine anxietate li-
„ beram, digitos etiam tunc contractos,
„ reliquum corpus autem flexile, urinam-
„ que ſanorum ſimilem inveni. Ve-
„ rum enim vero quum in cauſſarum hu-

„ jus affectus indagatione adhuc verſarer, „ cervicis totiuſque corporis dolores tenſivi repente augebantur, ægrotus ſe ſe „ in lecto circumvolvens, paulo poſt in „ paroxyſmum 19. minutor. incidebat, „ & ligni inſtar in lecto porrectus jacebat. Totum corpus fuit rigidiſſimum, „ immobile, & frigidum, digiti incurvati, facies pallida, oculi contenti, reſpiratio parva, pulſus tam debilis, ut raro „ tantum percipere poſſem, ſenſus plenarie „ oppreſſi, excitatioque tum per volatilia, „ tum per vellicationes non perficienda, „ maxillæque a ſe invicem diduci nequiverunt. Artus poſtea rurſus mobiles, digitos „ autem in priſtino ſtatu conſpexi. Ægrotus ſub ipſo paroxyſmo factorum „ immemor erat, corpus naturalem acquirebat calorem, Theæ potum ſine impedimento deglutiebat, doloreſque tenſivi aliquantum remittebant. Pulſum „ reperi plenum, æqualem, linguam „ albam, tumidam, reſpirationem ſanam. „ Omnibus a me penſitatis, HOFMANNI mineralem liquorem cum CC. „ Succin. rectificato præſcripſi, Theæque infuſum, atque avenæ cremorem „ largiter ſuadens, truncum laneis pannis camphora obductis fricavi, brachiiſque & ſuris veſicatoria applicui.

„ Po-

„ Pomeridianis inde horis formicationis
„ ſenſu in totius corporis muſculis, pru-
„ rituque percepto, ſæpius dormiturie-
„ bat. Circa noctem veſicæ ex canthari-
„ dum emplaſtro ſero limpido maxime re-
„ pletæ erant, & nocte ſitis augebatur.
„ Quinto mane dolores multum remiſe-
„ rant, ægrotus de totius corporis dif-
„ fractione, & borborygmis conquereba-
„ tur, & pulſu naturali majori celeriorique
„ urinaque rubicunda obſervata, febrem
„ acutam levem ſuſpicabar. Clyſma ideo
„ ex ſaponis aqua, quod flatus ſedeſque
„ duas removebat, & V. S. in brachio,
„ per quam ſanguis purpureus effluebat,
„ commendavi, atque oxymel ſimplex
„ cum ceraſorum aqua & camphorato
„ aceto (quod ex camphora cum ſac-
„ charo trita, & in aceto vini deſtilla-
„ to digeſtione paratur), hydromelque
„ cum avenæ cremore pro potu ordina-
„ vi. Circa veſperam digiti mobiliores
„ redditi tandem ſe ſe extendebant, tu-
„ midi autem & plane inſenſiles erant.
„ Dolores tenſivi quotidie magis minue-
„ bantur, in urina nubecula, 7mo die
„ fundum petens, apparebat, ſudatio le-
„ vis, ſomnus quietior, febris decre-
„ ſcens erat, decimoque ſecundo die ple-
„ narie evaneſcebat. Nunc aceti cam-

„ phorati loco ſpiritum antiſcorbuticum
„ DRAWIZZII mixturæ addidi, ulcera-
„ tionibuſque deſiccatis balnea per 8 di-
„ es ex ſaponis aqua calida, tandemque
„ ex aqua frigida, & corticem Peruvia-
„ num, aliquot ſeptimanas utilia duxi.
„ Quo facto ſanitas in priſtinum ſtatum
„ mutata eſt „. Cum adeo utriuſque fati exempla ſuppetant, haud abs re erit inveſtigandum, quaſnam dotes febrem, ut ſolvendo tetano par ſit, habere oporteat? Neceſſum omnino eſt, ut memorata febris 1mo) ſuperveniat tetano, aut ſaltem cum illo occipiat, nec ille huic ſuccedat: ita enim febris ſalutare vitæ molimen eſt ad ſpaſmi ſtimulum materialem loco movendum, mutandum, eliminandum, motuſque nervorum ſui generis febrilibus motibus turbandos. Secus tetanus a febre ortus hujus deleteriam intenſitatem tanquam illius effectus indicat. Porro 2do) Acuta ſit oportet. Cum enim ipſe quoque tetanus acutus ſit morbus, non aliam utique, quam acutam febrem, quæ celeri criſi facta prius illum ſolvere, quam ipſe vitam adimere, queat, ad ſolutionem ejus idoneam eſſe poſſe ſatis liquet. Verum tamen acuta hæc febris ſimul 3tio) Moderata eſto; ne alioquin vis vitæ duplici ſuccumbat hoſti,

quod

quod tetanus per ſe minatur, efficitque. Eapropter AVICENNA ephemeram eſſe debere voluit. Tum vero 4to) Criſim celerem ac perfectam, aut metaſtaſin faciat; imo plures ſimul criſes exigere videtur COUS *a*). Denique probabile eſt admodum, ad ſalutarem febris eventum plurimum facere, ut ne 5to) Tetanus a cauſſa externa, v. g. vulnere, &c. ſit profectus. Atque his intellectis, ſi ad funeſta illa prius allata exempla advertamus animum, in pleriſque illorum aliquas enumeratarum hic dotium defuiſſe reperiemus. Quæ cum ita ſint, non poteſt nunc non liquere, quantum in diſcrimen adducantur ægri, queis ad ſolvendum tetanum Clinici medicamentis ſtimulantibus immoderatius exhibitis febrim conciliare intendunt: enimvero ſi vehemens illa fuerit, non ſalutem, ſed interitum accerſet. Quis autem, recte percontante HAENIO *b*) „ febrim producturus, adeo „ arbiter rerum, verſatuſque in arte eſt, „ ut non plus febris generet, quam „ voluerit „?

a) De rat. vict. in morb. acut.

b) Rat. Med. P. 10. C. 4. §. 6. n. 14.

CAPUT V.

RELIQUIAE TETANI.

§. 100.

Dum ſpaſmus tetanicus viribus vitæ ſeu per ſe, ſeu remediorum efficacia adjutis, ſuperatus corpus ægroti dimittit, plerumque accidit, ut ſenſibiles quoſdam effectus poſt ſuum diſceſſum relinquat: horum nonnulli a nondum ſatis pacatis nervis proficiſcuntur; alii vero a vitio ſolidis partibus ſpaſmi aut diuturnitate aut magnitudine labefactatis inducto: iſti diuturniores plerumque ſunt, illi minus diuturni. Ad nervos nondum ſatis pacatos pertinent *ſitis*, *tremor*, *rigor*, &c. BILFINGERI *a*) juvenis, quotieſcunque periodici tetani inſultus terminabatur, vehementem ſemper ſitim cum ſiccitate oris perſenſit. Pleurothotonicæ vero BOENNECKENII *b*) puellæ finiente quolibet paroxyſmo cum crus tum brachium lateris affecti vehementer tremuit. Porro in juvene DELAROCHII *c*), ubi jam a teta-

a) Vid. §. 4. B. Hiſt. 7.
b) Vid. §. 116. Hiſt. 164.
c) Vid. §. 136. Hiſt. 193.

tetano eluctatus eſt, rigor aliquis etiamnum ſuperfuit, ſola mercuriali frictione iterata abolendus; & CLEPHANII *a*) murarius, etſi opii virtute a triſmo liberatus, inter labores tamen a frigore ſibi cavendum eſſe obſervavit: etenim ſi ſecus feciſſet, levem maxillæ rigorem continuo experiebatur. Pleriſque autem per aliquod a morbo tempus *debilitas* virium ſupereſt, veluti DELAROCHII *b*), BILFINGERI *c*), & MONROI *d*) ægris: CARTERI *e*) homo, ubi oleo cum nervinis uſurpato a tetano convaluit, imbecillitatem partium prius affectarum etiam tum ſuſtinuit. Nauta FARRII *f*) decedente ſpaſmo adeo erat debilis, vix ut ſtare ſuis viribus, ne dum ambulare, quiret; ac tametſi opiſthotoni reverſiones deſierint, ob varia tamen alia incommoda haud prius, quam medio Septembre, ita ſe ſe confirmatum ſenſit, ut ad labores aptus eſſet: quod idem MORGENSTERNII *g*) in puero accidit. Perinde in viro KLAUNIGII *h*) poſt quaslibet acceſſiones tanta aderat cum pulſu debili virium jactura, ut vix fari

 potue-

a) Vid. §. 124. Hiſt. 170.
b) Vid. §. 136. H. 193. §. 128. Hiſt. 179.
c) Vid. §. 4. B. Hiſt. 7.
d) Vid. §. 136. Hiſt. 192.
e) Vid. §. 125. Hiſt. 176.
f) Vid. §. 124. Hiſt. 173.
g) Vid. §. 117. Hiſt. 167.
h) Vid. §. 51. Hiſt. 78.

potuerit. Ad ſolidorum autem labem e tetani violentia cauſſatam *tumores* frigidi ſunt referendi, qualis FARRII *a*) nautæ ſupra criſtam oſſis ilei a morbo reſtitit ad plurima remedia contumax, donec fotu & emplaſtro e cicuta & gummi ammoniaco diſcuſſus eſt. Ita & MORGENSTERNII *b*) puero circa juncturas artuum, præſertim inferiorum, obtuſus quidam dolor cum levi tumore ſuperfuit, quem tonica & nervina poſtea diſcuſſerunt.



COM-

---

a) Vid. §.124. Hiſt.173. *b*) l. c. ad (g)

COMMENTARII
DE TETANO
PARS II.
DE IIS, QUÆ AD CURATIONEM TETANI PERTINENT.

PROLEGOMENA.
SUMMA CURANDI TETANI CAPITA.

§. 101.

MEdicinam facturi morbis Clinici id operam dant, ut indicans, indicationem, & indicata intelligant; eſt autem, inquit HAEN a) „ *Indicans* „ omnibus idem, ſcilicet Tetanus. Ea- „ dem cunctis *Indicatio*; auferendus enim „ morbus eſt. *Indicata* vero multis ea- „ dem ſunt, multis iterum diverſa & op- „ poſita „. Quapropter cum ſit

I. IN-

a) Rat. Med. P. 10. C. 4. §. 6.

I. INDICANS ipſe tetanus rite cognitus *a*), erit

II. INDICATIO

A. Tetani ablatio. Cum autem ille in nervis ſit, oportet, ut horum

1. Senſus minuatur; quod fit, ſi iiſdem

a.) Stupor inducitur, ſimulque

b.) Irritans res tollitur:

2. Motus inordinatus aboleatur, per

a.) Laxantia fibras,

b.) Spaſmum alibi excitatum,

c.) Pacantia nervorum turbas,

d.) Motum ſpaſmis contrarium inducentia.

3. Effectus ſpaſmum aucturi præpediantur, præſentes tollantur, v. g. iſchuria, tuſſis, alvus obſtructa, dolor, &c.

B. Vitæ conſervatio.

C. Recidivæ præcautio: quod fit, dum

1. Symptomata præſentia plane tolluntur,

2. Cauſſæ morbi cognitæ vitantur,

3. Nervoſum ſyſtema roboratur.

III. INDICATA vero cum talia ſint, quorum jam unum pluribus indicationibus, jam plura uni explendæ, inſerviant, ſingula pro dignitate in conſequentibus capitibus ſeorſim expendenda venient; non omnia

a) Part. 1. Libr. 4. C. 3. §. 71. ſqq.

omnia illa quidem, quæ theoriæ ductu ad id idonea eſſe videntur, ſed quæ docente rerum uſu proficua fuere obſervata. Enimvero cum promtius multa dici, quam uſu ſucceſſiſſe, experiamur toties, non eſt, cur plura, quam quæ profuere, in medium adferamus.

LIBER I.

DE ALIMENTIS AC REMEDIIS INTERNIS IN TETANO.

CAPUT I.

ALIMENTA.

§. 102.

1mo *Tempora nutriendi.* Primum morbi triduum, ſi vires admittant, ſine cibo tranſigi ſuadet AURELIANUS *a*); poſtea vero non niſi alternis diebus uſque ad morbi declinationem cibo uti, ita ut reliquis diebus ſola aqua calida, vel mulſum calidum remiſſionis tempore offeratur. In-

a) l. c. Cap. 8.

In declinatione vero morbi quotidie cibum concedit. ARETAEUS *a*) contra negat ægrum inedia eſſe macerandum. Sed nihil hic certi ſtatui poteſt; morbi vis, tenor, cauſſa, duratio, vires ægri, & appetentia hic omnia definient.

§. 103.

2do *Qualitas nutrimenti.* Iſtud ob ſpaſmodicam tetani indolem emolliens & laxans, ob deglutitionem difficilem, oriſque diductionem ac maſticandi facultatem pene nullam fluidum, ac denique ob alvum adſtrictam eidem facilitandæ idoneum, eſſe oportet, maxime dum in vigore eſt morbus; namque in declinatione valentior concedi cibus poteſt. In ſtatu ARETAEUS *b*) commendat mulſam ſpiſſam meraciorem, & ptiſanæ cremorem cum melle „ iſta namque (ait) & tonſillis comprimendo minimum dolorem „ inferunt, & gulæ deglutiendo lenia „ ſunt, & facilia, & ad moliendam alvum molliſſima, & ad vires inſtaurandas valentiſſima „. Similia AURELIANUS *c*) quoque danda cenſuit, cibum videlicet ſorbilem ac tenuem „ ex alica vel

a) De morb. acut. curat. L. 1. C. 6.

b) Ibidem.

c) l. c.

„ vel amylo, aut pane ex mulſo, vel „ pane inſuccato ex eodem mulſo: oportet enim . . . cibum ebibi potius (inquit), quam maſticari „. In morbi autem declinatione „ quotidianis diebus „ humaniore cibo nutrimus, præcaventes „ etiam nunc dura quæque, ac difficilis „ tranſvorationis dare mandenda, ſed „ magis pultes offerentes, vel olera, vel „ cerebra, vel piſces teneros, & omne, „ quod facile accipi ac digeri poteſt „. Quæ eadem, ſed brevius, monuit CELSUS *a*) „ diu (inquiens) vitandus cibus, quiſquis mandendus eſt. Sorbitionibus utendum, itemque ovis ſorbilibus, aut a pullis mollibus jus aliquod aſſumendum. Id ſi bene proceſſerit, jamque ex toto recte ſe habere „ cervices videbuntur, incipiendum erit „ a pulticula, vel intrita bene madida. „ Celerius tamen etiam panis mandendus, quam vinum guſtandum; ſiquidem hujus uſus præcipue periculoſus, „ ideoque in longius tempus differendus „ eſt „.

§. 104.

a) l. c. L. 4. C. 3.

§. 104.

3tio *Viæ nutriendi* porro imprimis hoc in morbo diligenter ſunt veſtigandæ, atque tum vel maxime, dum neque os conſtrictis arctiſſime maxillis admittit quidquam, neque, ſi recipiat etiam, fauces ſpaſmo arctatæ tranſitum concedunt. Ubi ſolus triſmus os aperiri vetat, deglutiendi facultate non prorſus adhuc ſublata, tunc experiendum eſt, utrum vel digitis vel ſpeculo oris lenis adhibita vis vim triſmi aliquatenus ſuperare queat; ſi cedat, per oris rictum æger fluidis nutriri poterit: ſin minus, videndum, num uſpiam abſens dens hiatum reliquerit; atque tunc per iſtum ope cannulæ alimenta commode infundere in os licebit, id quod ſapienter ſuis in ægris WEPFERUS *a*), SWIETEN *b*), STŏRCK *c*), SCHMUCKER *d*), ROSEN *e*), aliique ante hos uſurparunt, ut ex H. FABRICII ab AQUAPEND. *f*) verbis colligere eſt, dicentis: „ fuere, qui cibum liquidum porrexere „ veluti per infundibulum, poſita fiſtulæ „ extre-

a) Vid. §. 5. B. n. 4. H. 13.
b) Vid. §. 50. d.) Hiſt. 69.
c) Vid. §. 149. Hiſt. 211.
d) Vid. §. 50. B. Hiſt. 65. §. 163. Hiſtor. 320.
e) Vid §. 45. Hiſt. 53.
f) De Chirurg. Operationib. fol. 32.

„ extremitate intra os per locum, ubi „ aliquis dens deficit „. Quod ſi ne id quidem obtinet, tunc ſi aut maxilla inferior ultra ſuperiorem procurrat, velut in SILVESTRI *a*) femina, vel hæc ultra illam, aut dentes rari inter latera rimulas habeant, liquor inter buccas dentesque immittendus erit, ibique continendus, donec paulatim inde oris cavum ſubiverit. Hæc methodus in ægris MACAULEY *b*), CARTERI *c*), WINSLOWI *d*), ac WHITII *e*) ſucceſſerat. Aſt ubi hæ quoque viæ defuerint, HIPPOCRATISne conſilium ſequendum? an evulſo dente aliquo via alimentis aperienda? Hocce ab nonnullis factitatum docet H. FABR. ab AQUAPENDENTE *f*) „ alii „ (inquiens) unum atque alterum den„ tem dedita opera excuſſere „: verum præterquam quod id ſine magna cum ægri vexatione tum rei difficultate ſuſcipi nequeat, ſimul crudelitatis plus, quam utilitatis, habet, ut multis oſtendere poſſem: idcirco nulli ea in re auctor fuerim. Quod ad HIPPOCRATEM, ſuaſit

---

a) Vid. §. 164. H. 222.
b) Vid. §. 124. Hiſt. 171.
c) Vid. §. 125. Hiſt. 176.
d) Vid. §. 54. n. 3. H. 108.
e) Vid. §. 164. Hiſt. 223.
f) l. c.

ille *a*) potum, ſi æger ore haurire nequeat, per nares infundi. Verum „ experimentum tentavit in ſe & compluribus aliis HAENIUS *b*), ſine ſucceſſu. Patitur homo (inquit ille) utcunque, ſi os apertum eſt, & lingua obſequioſa; at vero quicunque noſtrum ſimulato maxillæ tetano (ſine quo experimentum nihil eſt) hanc per nares injectionem ſive debilius ſive fortius factam ſuſtinuit, fere ſuffocabatur „. Multo ante HAENIUM quidem LITTRE *c*), experimentis in ſe ipſo, aliis, brutis, cadaveribuſque cum hominum tum brutorum captis, reperit deglutitionem hac eadem COI methodo fieri poſſe, verum tamen liquidum infuſum per nares non omne in pharyngem pervenire ſemper, ſed haud raro accidere, ut pars illius facillime glottidem cum ingenti tuſſi ſubeat, parſque alia per os ac nares regurgitet. Sed quid non laboris ægro cauſſabunt tuſſis ingens difficulter alioquin ſpiranti, & liquidum in os clauſum regurgitans? Interea cum tanti interſit, poſſe per ſuperiores vias ſeu alimenta

a) De intern. affectionib.
b) Rat. Med. P. 6. C. 4. §. 9.
c) Act. Sc. Acad. Pariſ. A. 1718.

ta ſeu remedia ægris infundi, dedit operam LIBOUTON *a*), ut quod in tentaminibus LITTRII & HAENII infuſa per nares liquida ſuo in glottidem illapſu cauſſarunt incommodum, ſicque methodum hanc reddiderunt inutilem, ipſe invento tubo illud præpediret, per quem liquida naribus infuſa, quin vel gutta in glottidem venire queat, pharyngi traderentur. Aptavit tubum figura ſua flexuoſitati foſſæ narium reſpondentem: deſcriptionem ejus Academiæ Reg. Chirurg. A. 1768. examinandam miſit, ac vitia ejus expoſita poſtea emendavit. Præluxiſſe autem hac in re LIBOUTONO videtur H. FABRICIUS ab AQUAP. *b*), qui enumeratis variis methodis ægros, de quibus agimus, nutriendi, ſubjicit: „ vel tan„ dem ſuccurritur modo a me nuperrime „ excogitato, & eſt, ut per fiſtulam argen„ team paulo recurvatam per nares in „ palatum liquidum cibum immittamus, „ & probus (uti opinor) eſt modus, „ præcipue ſi cannula agnino inteſtinulo „ obvolvatur; niſi forte eam ſecum affe„ rat difficultatem, ne cibo e naribus „ cadente epiglottis in laryngem recur-

 „ vetur,

---

a) ROUX l. c. T. 34. p. 359. ſqq.

b) l. c.

„ vetur, quam ob rem ſuffocationis pe-
„ riculum immineret : quem modum
„ (ut libere & ex animo dicam) non
„ fui expertus. Nam ſi ſuffocationis pe-
„ riculum aliquod imminere exploratum
„ fuerit, hic modus abigendus erit; ſin
„ ſecus, recipiendus, quod in ſano ho-
„ mine experiri licebit „. Cannulæ figuram in Tab. Auctoris 5ta videre eſt. Neque prætereundus eſt modus alter, quem idem hic Auctor memorat : „ forte etiam
„ (ait) ægro ſuccurri poteſt, liquido ci-
„ bo per cannulam recurvam intra gingi-
„ vas extremas poſitam immiſſo „. Sed vereor, ut per muſculos tetano ibidem tumidos rigidoſque liceat. Quod ſi denique nulla hactenus allata methodus ægrum nutriendi locum inveniat, reliquum eſt, ut, quod H. FABR. ab AQUAPENDENTE *a*) quoque ſuadet, æger enematibus *b*) analepticis, balneiſque nutriatur. Et quoniam non alimenta ſolum, ſed remedia etiam, ægro ſunt propinanda, de his perinde, quæ de illis hic dicta ſunt, accipienda erunt.

CA-

a) Ibidem.

b) Vid. §. 133. n. 3.

CAPUT II.

EMETICA ET CATHARTICA.

§. 105.

EMETICA utrum unquam in tetano locum habeant, merito dubitari poteſt. Damnat ea diſerte AURELIANUS *a*), „ PRAXAGORAS (inquiens) . . . vapo„ rationibus utitur, & clyſtere, & vomi„ tu. Quanta autem vexatio ſit vomitus, „ arbitror ſuperfluum dicere. Eſt enim „ etiam impoſſibilis uſus ejus in his, qui „ neque ad tranſvorandum potum os „ aperire poſſunt „. Et ſane ſi ingenti cum moleſtia vel ſola nonnunquam ſputa rejiciuntur, ut COUS *b*) notat, & ægrarum apud TIMAEUM *c*) MACAULEY *d*) ac SCHMUCKERUM *e*) hiſtoriæ confirmant, quid non moleſtiæ & anxietatis cauſſabit ſaburræ torrens, e ſtomacho violente ſubverſo in os ſubito compulſus ac dentium anguſtias promte penetrare non valens? Quid porro exhibitum emeticum

T 3 utili-

a) l. c. C. 8.
b) Vid. §. 53. Hiſt. 84.
c) Vid. §. 50. d.) H. 68.
d) Vid. §. 124. Hiſt. 171.
e) Vid. §. 50. b.) Hiſt. 65.

utilitatis levaminiſve attulit in ægris ſeu HAENII *a*), ſeu BARTHOLINI *b*), ſeu aliorum? Unde in triſmo neonatorum illa dum R. A. VOGEL *c*) utilia eſſe contendit, rationibus magis, quam exemplis, ad id adductus eſſe videtur. Non tamen emeticorum uſus a tetani cura prorſus eſt excludendus, dum nimirum occaſionalis morbi cauſſa aut ventriculum aut duodenum inſedit, & ſolo ſuo mechanico ſtimulo Tetanum induxit, quod vermibus præſertim eſt ſolenne; atque tum quantæ ſit efficaciæ ſubverſio ventriculi, binæ verminoſæ, quas DUFAU *d*) & BOENNECKEN *e*) viderunt, documento ſunt.

§. 106.

CATHARTICA autem in debellando tetano longe majoris, quam emetica, ſunt uſus, tum quod plura ſint, quæ exhibitionem illorum expoſcant, tum etiam, quod ad tollendas materiales morbi cauſſas natura ſua videantur magis eſſe idonea. Indicant vero catharticorum in tetano uſum ſequentia:

§. 107.

---

a) Vid. §. 40. Hiſt. 33.
b) Vid. § 38. Hiſt. 25.
c) Opuſc. Medic. ſelect. N. 6. §. 7. p. 182.
d) Vid. §. 41. Hiſt. 34.
e) Vid. §. 41. Hiſt. 35.

§. 107.

1mo *Saburra* quæcunque in primis viis, ſive cauſſa morbi ſit, ſive accidens, v. g. a.) *Vermes* ventriculi aut inteſtinorum *a*), b.) *Cruditas* ex ingeſtis, aut venena *b*), c.) *Colluvies* humorum pravorum viſcera naturalia obſidens, ex metaſtaſi *c*), aut quacunque alia ratione ibi collecta. His in caſibus cathartica ſæpenumero fuiſſe ſalutaria docet hiſtoria Medica. L. CHALMER *d*) infantem neonatum, *Hiſt.* 154.
ſpaſmo maxillæ detentum, data potiuncula e Rheo cum aliquot Moſchi granis, ac pauxillo Ol. ♀ per deliq. nec non balneo calido, crebriſque enematis e decocto fl: Chamom. cum pauco ſap. Caſtiliano, a morbo liberavit. STORCH *e*) refert Sartori 3. infantes jam paucis a nati- *Hiſt.* 155.
vitate poſt diebus e tetano maxillæ periiſſe. Ubi uxor quartum peperit, mox pro meconio expellendo præſcripſit Cl. Vir: ℞, ☿ Polychr. n. ʒß. Spec. Diajal. gr. v. M. pro 5. doſ. Abſumtis his ☿, dedit Spec. Diajal. MYNS. gr. vj. atque

 ſic

a) Vid. §. 41.
b) Vid. §§. 38. 39.
c) Vid. §. 40.
d) l. c. pag. 103.
e) Erſten Mediciniſchen Jahrgangs 1. Theil. Jul. 1721. Art. 3. n. 5. p. 169.

ſic infanti vita eſt conſervata. Alibi *a*) quoque vidimus tetanos a vermibus oriundos deſiiſſe, ut primum vermes catharticis fuere expulſi. In Annalib. Wratislaw.
Hiſt. 156. *b*) juvenis vorax, quotieſcunque loco frigidiuſculo morabatur, identidem interdiu obriguit cum ſenſuum abolitione: ut primum vero fornacis calore eſt recreatus, ſpaſmus diſparuit; reverſus tamen ocyus in loco frigidulo. Uſu diapnoicorum quidem evocato ſudore malum ceſſit: verum ubi laborem ad machinam limbulariam reſumſit, ventriculo ad eandem (ut in id genus labore uſuvenit) continenter appreſſo, mox iterum revocatum eſt. Tandem exhibito cathartico evacuata copioſa ſaburra morbus non amplius rediit.

§. 108.

2do *Staſis acrimoniæ* circa nervos alicubi collectæ, unde actione purgantis revulſa, atque ad inteſtina derivata & expulſa morbum non raro ſolvit. SAUVAGES *c*) „ vidit Aquis-Mortuis Majo
Hiſt. 157. „ 1759. militem recens huc advenam, „ qui

a) Vid. §. 41.
b) Tent. 22. A. 1722. Octob. Cl. 2. Art. 1. §. 4. p. 380.
c) l. c. Art. 2. n. 15. p. m. 20.

„ qui cum rori veſpertino inaſſvetus ſe „ expoſuiſſet, maxillæ inferioris muſculos dolere, ſubtumere, rigeſcere ſenſit, cum ejus partis ad poſteriora retractione, & immobilitate, ac clauſura, quæ per 5 vel 6 dies perſeveravit. Invitis tribus largis phlebotomiis, fomentis anodynis, emollientibus, quibus ſenſim impugnatus morbus: cathartico ceſſavit „. Huc etiam fortè DODONAEI *a*) caſus pertinet: „ memini (inquit ille) olim me cuidam adeſſe, cui cum maximo dolore cervix rigida in nullam partem inflecti poterat. Huic primum fomentum adhibuimus, deinde aurea dicta catapotia dedimus, quæ ſummo cum labore devoravit. Subſequente autem ex his larga purgatione a dolore & nervorum rigore cito liberatus fuit „. Hujus perinde loci eſſe videtur tetanus mulieris apud FORESTUM *b*), poſt 12 alvi dejectiones a binis catharticis ſecutas intra quatriduum ſolutus.

Hiſt. 158.

Hiſt. 159.

T 5 §. 109.

a) Annot. in BENIVENII Cap. 103. de Abdit.

b) l. c. Obſerv. 111.

§. 109.

3tio *Alvus obſtructa*, tetano familiariſſimum ſymptoma *a*). Obſervavit FARR *b*) morbum, quotieſcunque alvus ſubſtitit, fieri deteriorem, quam deinde ſeu enemate, ſeu leni carthartico motam evidens conſecutum eſt levamen. Interea hocce in caſu enemata catharticis ſunt præferenda, niſi non ſatis alvum moveant, ut factum in caſu FARRII; metus enim eſt, ne crebris catharticis radicetur morbus potius, quam ſolvatur. Atque huc reſpexiſſe HIPPOCRATES *c*) videtur, dicens „ alvum ne nimium, niſi glande, „ ſolvito, ſi ex longo tempore non de„ jecerit „: ea enim eſt ſpaſmorum natura, ut quos lenes per principia factæ evacuationes non ſolvunt, crebriores dein exaſperent, velut in SCAMANDRO accidiſſe notavit COUS *d*).

§. 110.

4to *Solutio morbi*, ut recidiva prævertatur, vel ut reliquiæ morbi celerius diſſipentur. Quod ad recidivam attinet

„ cum

a) Vid. §. 32. b.)

b) Vid. §. 124. Hiſt. 173.

c) De rat. vict. in morb. acut.

d) Vid. §. 54. n. 2. H. 95.

„ cum inteſtina, inquit CHALMER *a*), indubie plurimum ſuis in functionibus interturbentur adeo, ut nulla alvi ſolutio exſpectari queat: idcirco aliquot poſt diebus, quam ſpaſmus evanuit, conſuevi plerumque ex induſtria novo morbo a ſtimulo vel bilis, vel alius humoris intra inteſtina diu incluſi, & acris facti, rurſus orituro occurrere. Hoc ſcopo datur ſolutio Mannæ, ♀ regeneratus, cum pauxillo croci & aquæ theriacalis, omni hora parvis doſibus, donec ſolvatur alvus; tum vero medicina ſeponi poteſt, plerumque enim prima doſis unam binaſve dejectiones efficit. Cauta hac medendi methodo nec vires ægri dejiciuntur, nec novus ſpaſmus leni adeo diaphoreticarum ſimul virium cathartico ſuſcitatur „. Reliquias vero morbi cathartico celerius aboleri docent obſervatis ab ſe caſibus S. H. D' AMBON *b*), FARR *c*), HAZON *d*), MACAULEY *e*), aliique.

§. III.

---

a) l. c. pag. 101.
b) Vid §. 140. Hiſt. 197.
c) Vid. §. 124. Hiſt. 171.
d) Vid. §. 148. Hiſt. 209.
e) Vid. §. 124. Hiſt. 171.

§. III.

Cautelæ tamen a catharticorum in tetano uſu non omnes ſunt removendæ, quarum præcipua eſto, quocunque obveniente caſu non alia, quam eccoprotica, eſſe exhibenda, ne acriorum draſticorum ſtimulo ſpaſmus tetanicus non tam infringatur, quam confirmetur, augeaturve etiam, id quod jam HIPPOCRATES *a*) cavit, dum catharticis mitioribus illo adhuc ævo ignoratis „ piper & veratrum „ nigrum ex jure gallinaceo pingui & „ calido „ dari juſſit, ut ſic nimiam utriuſque remedii acrimoniam juris pinguedine obtunderet.

CAPUT III.

DIAPHORETICA ET DIURETICA.

§. 112.

Diaphoretica adverſus Tetanum tum præſertim valent, cum aut 1mo) Metaſtaſis cutanea, imprimis vero perſpirabilis materiæ ſudoriſve, morbo præbuit occaſionem, aut eundem 2do) Cachexia frigi-

a) De morbis L. 3.

frigida ac lenta produxit; aut ſi 3tio) Criſis morbi hac via, oborta moderata febre, a natura intenditur. Clarum autem eſt, hæc tria probe prius eſſe diſpicienda, priuſquam ad uſum diaphoreticorum tranſeatur; ne, ſi nulla harum conditionum adſit, ſudores ſymptomatici levantium in locum eliciantur *a*). Sed etiam non eadem ubique diaphoretica eſſe adhibenda nemo non videt: in tertio præſertim caſu leniſſimis utendum eſt, quæ non tam ſpecifico ſuo ſtimulo, quo acriora prædita ſunt, humores ad cutis ſpiracula urgent, quam aquæ calidæ potius mole ſub lecti tepore eadem referant, parteſque ſpaſmo rigentes imbre ſudoris calidi molliunt ac relaxant. ARETAEUS *b*) quidem ſudores caveri, C. AURELIANUS *c*) vero obortos continuo abſtergi, jubent: ſed hi de ſymptomaticis loquuntur, id quod poſterior diſertis verbis innuit „ ſudorem (inquiens) ob preſſuram ac turborem venientem pannis calidis excipimus; frigeſcit enim permanens, & conſenſu partium paſſionem geminat „. Similem perinde ſudorem in opiſthotono damnavit COUS *d*) dicens: „ lethale eſt in poſte-

„ rio-

a) vid. §. 32. e.)
b) l. c.
c) l. c.
d) Coac. Prænot. N. 361.

„ riorum partium diſtentione ſudare „ &c. At quam ſalutaria ſint in metaſtaſi cutanea, ad generatum inde tetanum profligandum, diaphoretica, ſequens HOECHSTETTERI *a*) obſervatio docebit.

Hiſt. 160. „ Puella 17 annor. inter ſordes & ſqual„ lores educata, in ipſa paupertate nata, „ quotidianis laboribus fatigata, cui la„ cera veſtis, & ſervitus apud tenuioris „ fortunæ homunculos, ubi frigere & „ eſurire licuit plus quam ſatis, venit in „ Febr. A. 1625. (qui ſquallidior Ja„ nuario erat, cum ventis borealibus „ multis) in noſocomium. Huic totum „ corpus æqualiter tenſum erat, rigebat „ ſpina, pedes extendebantur rigidi, „ difficilis brachiorum motus erat, quaſi „ tota immobilis jacebat, cum dolore „ (qui in capite præceſſit) membrorum, „ os nequivit diducere, muſculi maxillæ „ retrotendebantur, riſus Sardonius, de„ glutitio difficilis, facies rubra, corpus „ non madidum, mens & loquela inte„ gra. Tetanum indicavi. Hæc in no„ ſocomium portata lectum non durum „ habuit, ſed pro ſua conditione mol„ lem, domicilium ſeu hypocauſtum igne „ calefactum. Cibus erat liquidus, ſuc-

„ cus

a) Obſerv. Medicar. Dec. 5. Caſ. 5. p. 595. ſqq.

„ cus carnis elixatione elicitus, qui faci-
„ lis deglutiendo eſt, & ad vires inſtau-
„ randas valentiſſimus. Nucham, ſpi-
„ nam dorſi, & coxas oleis inunximus
„ liliorum alborum, lumbricorum, & de
„ piperibus miſtis, ut ARETAEI præ-
„ ceptis inſiſterem, vitare conans omne
„ fœtidum. Potionem calefacientem, di-
„ ſtentiones nervorum laxantem, ex de-
„ coƈto ligni Gvajaci exhibui hoc modo:

„ ℞. Ligni Gvajaci tornati ℔ j.
Corticis ejuſdem ℥ij.
Viſci Querni ℥vj.
Aqu. fontanæ ℔viij. coq. ad caſum medietatis; Colatura detur.

„ Sumſit mane ℥vj. ſudavit optime. Eo-
„ dem decoƈto in potu ordinario uſa
„ eſt quotidie ad menſem. ARETAEUS
„ quidem prohibet ſudorem ab æſtu do-
„ micilii conciliatum, cum morbus hic ad
„ ſyncopen declinet, & facile fiat reſo-
„ lutio. At ex conſtipatione pororum
„ cutis, qua excrementa plurima in ca-
„ cochymico corpore retenta fuerunt, cum
„ hoc malum originem ſumſerit, reſera-
„ tio pororum, & diſcuſſio humorum erat
„ neceſſaria, maxime cum talis potio ca-
„ lefaciat, corporis partes emolliat,
„ quæ ex ſudore madidæ omnem noxam

„ evita-

„ evitarunt. Acceſſi ad hoc magnum
„ medicamentum non cunctanter, cum
„ alvum mollem feciſſem monitore ARE-
„ TAEO. Elegi decoctum, ut calefa-
„ cerem, & ut evacuarem, cum longe
„ excellens frigus hujus vitii cauſſa fue-
„ rit, & hyems, quæ ferax horum vi-
„ tiorum eſt, anſam dederit. . . . Pro-
„ ſpicere tamen placuit & cerebro arci
„ ſenſuum, & nervorum patrono, his
„ aquis:

„ ℞. Aquæ ſtill. Squammariæ
— — Pœoniæ
— — Tiliæ
— — Lil.Convall. aa ℥j.
— Epilept. LANGII ℥jß.
— Hirundin. Picar. aa ℥j.
Theriac. ANDROM. veteris ʒjß.
Tabul.manus Chriſti perl. ʒvj. M.

„ Sumſit hanc aquam, a qua ob theria-
„ cam mador. Cum jam deglutiret ali-
„ quo modo melius, ſic eam purgavi:

„ ℞. Brodii laxat. Cybebarum ℥jß.
Extr. Cnycopharmaci ℈jv.
Aqv. Card. Bened. q. ſ. f. Potio.

„ Sudore per octiduum ſic promoto artus
„ & membra flexibiliora facta ſunt, poſt
„ menſem omnia conſueta opera facie-
„ bat. Caput roboratum erat tabulis:

„ ℞. Spe-

„ ℞. Specier. Diambræ ℥j.
☿ Marchion. ʒij.
Sacch. alb. diſſol. c.
Aq. ſtill. Ceraſ. nigr. q. ſ. f.
Rotulæ.

„ Sana facta valedixit nobis „. Plura de diaphoreſeos utilitate in balneorum *a*) uſu videri poſſunt.

§. 113.

DIURETICA vero utrum adverſus tetanum valeant aliquid, merito ambigas; HIPPOCRATES *b*) quidem ægris „ niſi „ febris & ſomnus acceſſerit, & . . . „ urinæ concoctæ, ſudoreſque judicatorii „ prodierint, . . . Modi radicem ex vi„ no odorato tritam, & Daucum mane „ jejuno ante perfuſionem „ propinari juſſit: DIOCLES quoque apud AURELIANUM *c*) diuretica in tetano ſuaſit: „ ſed „ . . . mictoria (ait poſterior) veſicam mo„ ventia omnes provocant nervos, qui „ tunc ſummo atque attento ſenſu ha„ bitantur „. Neque a quoquam novi tetanum diureticis fuiſſe percuratum.

a) Vid. §. 139.
b) De rat. vict. in morb. acut.
c) l. c.

CAPUT IV.

CORTEX PERUVIANUS.

§. 114.

Cortex Peruvianus adverſus Tetanum variis in caſibus cum fructu uſurpatur. Indicant illum

1mo *Vulnera, ulcera, contuſiones*, &c. partium tendinoſarum, nervoſarumque facile tetanum poſt ſe trahentia, præcipue ibi gentium, ubi ſymptomaticus id genus Tetanus æque ac protopathicus eſt frequens, v. g. in Indiis, idque prophylaxeos cauſſa. CH. BISSET *a*), qui in Indiis Occident. maxillæ tetanum vulneribus capitis, amputationibus, fracturis, luxationibuſque, maxime accedente jam gangræna, plerumque die 4to ſupervenientem ſæpe vidit, & intra 4 dies lethalem, nihil ad eundem prævertendum expertus eſt efficacius decocto Cort. Peruv. copioſe ſumto, vulneriſque ſpleniis continuo affuſo, pro fomentatione. Imo jam in præſente a dictis cauſſis malo remedi-

a) l. c.

medium hoc in clyſmate uſurpatum profuiſſe, inferius *a*) dicetur.

2do *Periodicus tetanus* e febrium intermittentium larvatarum proſapia. Cujus rei illuſtre exemplum memoriæ prodidit Ill. noſter L. B. de STÖRCK *b*):
„ puer 9 annor. (ait) quotidie circa Hiſt. 161.
„ 2dam pomeridianam peſſimis totius cor-
„ poris convulſionibus excruciatus eſt, &
„ hiſce ceſſantibus tetanus univerſalis ſu-
„ pervenit, qui autem poſt 8 circ. mi-
„ nuta ſenſim deſiit, & ægro rediit mens,
„ & ſequebatur largus ſudor . . . Ten-
„ tavi diverſiſſima remedia in his con-
„ vulſionibus decantata, & alias optimo
„ cum effectu exhibita; verum in omni-
„ bus fruſtra fui, & æger intra 6 dies
„ omnibus fere viribus orbatus eſt. Qua-
„ re tempore intercalari ℥vj. extracti
„ Corticis Peruviani in miſtura præbui.
„ Altero die nullæ convulſiones obſerva-
„ tæ ſunt; verum æger ea hora, qua
„ paroxyſmus debuiſſet reverti, fuit
„ multo debilior, anxius, & faciei color
„ ſæpius mutabatur: poſt lenem autem
„ ſudorem æger dormivit, & melius ha-
„ buit. Dedi dein adhuc per octiduum

V 2 „ quoti-

a) Vid. §. 133. n. 3. *b*) Ann. Med. 2. p. 166. Hiſt. 187.

„ quotidie ℥ß extracti cort. Peruv. & „ quotidie ægri vires auctæ ſunt, & „ nullum amplius convulſionis veſtigium „ viſum eſt. Poſt 6 menſes vidi hunc „ puerum adhuc integre ſanum, robu- „ ſtum, & ab omni convulſione immu- „ nem „.

3tio *Finis morbi*, ad robur ſolidis, ac præprimis nervis, ſpaſmi vehementia labefactatis reſtaurandum.

CAPUT V.

ARNICAE FLORES.

§. 115.

Arnicæ florum infuſo H. I. COLLIN binis in ægris opiſthotonum profli- *Hiſt.* 162. gavit. Quorum prior *a*) „ murarius 35. „ circ. annos natus, 9na Junii A. 1770. „ ad nos (inquit) defertur, a ſemi anno „ opiſthotono affectus, & toto hoc tem- „ pore lecto affixus, immobilis, ſat li- „ bero functionum naturalium uſu gau- „ dens. Ante 3. annos eodem morbo „ per plures menſes occupatus balneis Baden-

a) Obſerv. circa morb. acut. & chron. Part. 3. Caſ. 1.

„ Badenſibus, quæ hoc anno ipſi nullum
„ levamen attulerunt, curatus fuerat. To-
„ ta vita ſua ante hunc morbum vix un-
„ quam æger ſæpe tempore pluvioſo &
„ frigido calci parandæ, & aliis in libe-
„ ro aere perficiundis incubuit. Pulſus
„ erat tremulus, formicans, & 28 pul-
„ ſationes intra horæ minutum cum mo-
„ dica arteriæ tenſione abſolvit: reſpira-
„ tio ob retrotractum caput, collum, &c.
„ & incurvatam dorſi ſpinam, per inter-
„ valla laborioſa, naturali tamen vix fre-
„ quentior aut celerior: ſitis multa. Da-
„ tur ipſi Camphoræ ʒß per diem:

„ ℞. Gumm. Arab. ʒj. Solve in
▽æ Fl. Tiliæ ℥iij. dein terendo admiſce
Camphoræ ʒß
Syr. Capill. Vener. ℥j. M. S. quater de die ℥j.

„ Detur ſuperpotando vaſculum Emul-
„ ſi vel Decocti. Hoc Medicamentum
„ optime fert, & 12ma Junii arteria in-
„ tra minutum tantum 72 vel 73 pul-
„ ſat, mollis eſt pulſus, liber, colla-
„ pſus, neque tremulus, neque formi-
„ cans amplius. Calor ad ſenſum valde
„ minutus: ſitis diſparuit. Subinde per
„ horam 1. 2. ve, præcipue noctu, æ-
„ qualiter ſudat, & colli ſpinæque dorſi

 dolo-

„ dolores inde minui ipſi videntur. So-
„ mnus hac nocte optimus, quo gaviſus
„ fuerit a ſemi anno. Camphoræ ℈j. quo-
„ tidie abſumit uſque ad 22 Junii: ca-
„ lor fuit toto hoc tempore minor; cu-
„ tis mollis, perſpirans; ſudor nullus,
„ & pulſus 8. 10. 12. pulſationibus mi-
„ nus creber, liberior, magis dilatatus
„ fuit, quam ante camphoræ uſum. Cum
„ autem, licet ſpinæ dorſi dolores remi-
„ ſiſſent, Opiſthotonus maneret immu-
„ tatus, aliam curandi viam inivi *a*). 22da
„ Junii datur ipſi infuſum

„ ℞. Flor. Arnicæ ʒij. infund. cum
▽æ ferv. q. ſ. per ½ h. vaſe clau-
ſo. Colat. ℔j. adde
Syr. fl. Chamom. ℥j. M.

" S. 4. vel 5. doſibus diei unius ſpatio abſu-
„ matur. 24ta in Epigaſtrio & utroque Hy-
„ pochondrio & circa umbilicum dolores
„ per 2. 3ve horæ minuta durantes, urentes,
„ pungentes, ſubin cita lancinatione ab
„ uno hypochondrio ad aliud decurren-
„ tes, accedentes ſubinde Epigaſtrii &
„ umbilici introtractione, incipit pati.
„ Circa meridiem ſenſum magna vi inje-
„ cti liquidi citiſſime a vertebris colli ſe-
„ cundum ſpinam dorſi ad os ſacrum uſ-
„ que cum ſat magno totius corporis con-
„ cuſſu

a) Obſ. circa morb. acut. & chron. P. 4. C. 4. Caſ. 3.

„ cuſſu decurrentis ſubito percipit, poſt
„ quem collum, licet cum aliqua diffi-
„ cultate, in omnem partem vertit, &
„ corporis truncum pauliſper movet: uri-
„ na rubra eſt, & quantitate liquida aſ-
„ ſumta multum ſuperat: alvus aquoſa
„ quater, quinquies, in die dejicitur. Da-
„ tur veſpere paregoricum, quod noctem
„ tranquillam reddit. 25ta eundem ac he-
„ ri concuſſum ſemel paſſus eſt; mino-
„ res ſunt dolores; rarius retrotrahuntur
„ epigaſtrium & umbilicus. Veſpere da-
„ tur iterum paregoricum. 26ta truncum
„ corporis in anteriora, vi aliqua adhibi-
„ ta, curvat. Eodem modo circa 10mam
„ matutinam concutitur corpus, ac die-
„ bus præcedentibus; urina copioſa ex-
„ cernitur: alvi dejectiones cum teneſmo
„ ſexies, ſepties, in die habet; inci-
„ piunt externe tumere hæmorrhoides;
„ reſpiratio eſt bona; pulſus liber, mol-
„ lis, dilatatus, inæqualis, leniter febri-
„ lis. 28va Junii dolores colicos patitur:
„ alvus eſt torminoſa, æque frequens ac
„ ante, pultacea, muco mixta; hæmor-
„ rhoides magis tument, dolent; urina
„ colore ſæpe varians pergit frequenter &
„ copioſe excerni; pulſus eſt ſat plenus,
„ fortis, magis febrilis. Applicantur hæ-
„ morrhoidibus ſanguiſugæ, quæ mul-

„ tum ſanguinis educunt. Præter infu-
„ ſum (fl. Arnicæ) datur decoctum rad.
„ Salab cum Diacodio. 29na dolores o-
„ mnes ceſſarunt; pulſus eſt collapſus,
„ minus febrilis; alvus minus frequens.
„ 30ma baculo adjutus per cubiculum len-
„ te aliquoties deambulat: corpus majori
„ cum facilitate & erectum tenet & an-
„ trorſum curvat. Datur infuſum e fl.
„ Arnicæ ℥iii. paratum, & continuatur
„ uſus decocti Salab. Per triduum ſenſus
„ formicarum ſecundum totam dorſi ſpi-
„ nam, ab hac per utrumque hypo-
„ chondrium ſecundum coſtas ſpurias ver-
„ ſus epigaſtrium decurrentium per 1.
„ 2.ve horæ minuta durans, ſæpe repe-
„ tens auctam medicamenti doſin ſequi-
„ tur. Opiſthotoni reliquiæ penitus au-
„ feruntur, & æger libere abſque baculo
„ incedit. Verum incipit iterum alvus
„ liquida, torminoſa, frequentior fieri,
„ tuſſitat æger, & pectoris dolores ſub
„ tuſſi conqueritur. Abſtinet a flor. Ar-
„ nicæ, & utitur medicamentis demulcen-
„ tibus, refrigerantibus, quibus brevi
„ omnes turbæ ſedantur, & æger per-
„ fecte curatus, ſub finem Julii ad labo-
Hiſt. 163. „ res redit „. Altera *a)* „ puella
14 an-

a) Ibid. Part. 4. C. 4. Caſ. 6.

„ 14 annos nata, procera, ſanguinei „ temperamenti, a pueritia circa collum „ erumpenti & linteis fumo olibani im- „ prægnatis, calide applicatis, poſt 4. „ aut 5. dies diſparenti Eryſipelati fre- „ quenter obnoxia, 5ta April. A. 1772. „ illo iterum affecta eſt, & more ſolito „ tractatum cito integre diſparuit. Puel- „ la ſpaſmo cynico *a*)correpta eſt,quo non „ obſtante domeſticos labores, juſculis „ inter dentes immiſſis ſe ſuſtentans, per- „ egit, donec 15ta Aprilis frigida tem- „ peſtate pavimenta domus lavans ſpaſmo „ cynico junctus fuerit Opiſthotonus. „ Domi jacenti varia abſque effectu uſque „ ad 20mam Aprilis, qua ad nos delata „ eſt, applicata fuerunt. Dorſi ſpina „ valde incurvata; caput retrotractum, „ immobile; omnia membra extenſa in- „ ſtar ligni rigent. Muſculi abdominis „ & totius trunci rigidiſſimi. In ſomno „ maxillæ parum diducuntur, & inter il- „ las apex linguæ extruditur, quam evi- „ gilans difficulter in os reducit, & mor- „ ſu jam aliquoties læſit. Vi adhibita „ maxillæ parum a ſe diduci poſſunt, ut „ rima habeatur ad liquida in os infun- „ denda, quæ cum difficultate deglutit.

 Alvus

a) Videtur Cl. Vir triſmum intelligere, qui a ſpaſmo cynico eſt diverſus ut §. 20. c.) dictum eſt.

„ Alvus eſt tarda, urina ſæpe effluit, dif-
„ ficile ſpirat; pulſus vix febrilis, inæ-
„ qualis, irregularis, ſat plenus, abſque
„ duritie. Vena educitur ſanguis bonæ
„ notæ. Enema emolliens adhuc prima
„ die bis injicitur, quod nihil fere edu-
„ cit. Applicantur 5. veſicantia, & præ-
„ ſcribitur: ℞. Flor. Arnicæ ℥ß. inf.
„ ut prius. Colat. ℔j. adde. ſyr. fl. Cha-
„ mom. ℥jß. M. S. diei unius ſpatio ab-
„ ſumat. Quatuor primis diebus, qui-
„ bus hoc medicamento uſa eſt, nulla in
„ melius mutatio obſervata fuit; 5ta vero
„ die nulla externa vi adhibita maxillas
„ ſatis diducere potuit, ut medicamen-
„ tum & cibos commodius ſumeret, &
„ facile deglutiret. Stertor tamen ſat
„ magnus per aliquot minuta durans aſ-
„ ſumta ſequitur. 26ta Aprilis caput mi-
„ nus retrotractum jam parum ad latera
„ movet; minus inflexa eſt dorſi ſpina,
„ artus minus rigidi; alvi & urinæ ex-
„ cretiones naturales; ſudor frequens,
„ ſat copioſus, per totum corpus æqua-
„ lis; pulſus eſt liberior, ſat æqualis; re-
„ ſpiratio facilior, ſomnus autem huc uſ-
„ que parcus, inquietus. 1ma Maji ſolu-
„ tus eſt muſculorum dorſi ſpaſmus,
„ ſpina dorſi naturalem directionem ha-
„ bet; caput erectum ad latera facile

„ mo-

„ movet, cum aliqua difficultate anterius
„ curvat. Supereſt adhuc in maſſeteri-
„ bus aliqua rigiditas. Omnes artus in
„ lecto jacens ſat facile movet. Muſculi
„ abdominis ſunt adhuc valde tenſi. 8va
„ Maji liberi ſunt colli muſculi; maſſe-
„ teres adhuc aliquid ſpaſmodici habent,
„ & rigiditas muſculorum abdominis im-
„ mutata permanet. Ceſſavit ſtertor aſ-
„ ſumtorum deglutitionem ſequens. Per-
„ git ægra eadem medicamenti doſi uti,
„ & toti abdomini cataplaſmata emolli-
„ entia diu noctuque applicantur. Hac
„ methodo ſenſim ita ad ſtatum natura-
„ lem reductum eſt abdomen, ut 20ma
„ Maji nulla amplius tenſio adfuerit, &
„ ægra ſola ſe in lecto erigere, ſedere,
„ inceperit. Os perfecte aperire non
„ dum valebat, neque pedibus inſiſtere;
„ brachiis autem jam a 10 diebus libere
„ utitur, & ſola comedit. Noctu opti-
„ me dormit. 5ta Junii pedibus ſat fir-
„ miter inſiſtit, & parum ſuſtentata in-
„ cipit deambulare. Utitur eadem me-
„ dicamenti doſi uſque ad finem Junii,
„ quo tempore maſſeteres naturalem mo-
„ bilitatem acquiſivere, & toti corpori
„ motus libertas reddita eſt. Miſſum ſit
„ medicamentum, & puella per aliquot

„ ſe-

„ ſeptimanas adhuc in noſocomio ſer„ vatur, ut bona diæta vires firmen„ tur. Dein optime valens & robuſta „ dimittitur „.

CAPUT VI.

PHOSPHORUS URINAE.

§. 116.

MARCELLUS *a*) aſſeverat „ ſum„ mum eſſe & probatum remedium teta„ nicis, opiſthotonicis, emproſthotonicis, „ & arthriticis lotium caprinum cum aqua „ miſtum, & jejunis potui datum „. Multis vero hodie ſordida hujuſmodi pharmaca non inutilia modo, ſed ridicula etiam, & amariſſimis quibuſque ſarcaſmis non indigna eſſe viſa ſunt, ut queis plus imperitia ac ſuperſtitio vulgi fidei, quam virium natura impertita ſit. Sed num nobilioris ſtemmatis, mitiorique cenſura digna ſunt, quæ ex iiſdem his ſordibus loripes Vulcanus extricavit? Salia puto, phoſphorum, &c. Quæ quia excrementi no-

a) v. FOREST. l. c. Schol. ad obſerv. 113.

nomen amiſere, efficaciora arbitramur! Phoſphorum urinæ in Pleurothotono, poſt plurima alia irrita, BOENNECKEN ſenior *a*) ſalutarem obſervavit. Suſcepit ille A. 1758. d. 23tia Febr. curandam puellam undeviginti annos natam, carnoſam, plethoricam, facie roſea, & niſi quod ſpaſmodicum inſultum indies aliquoties pateretur, cetera ſano corporis habitu præditam, cui vires quoque reſpondebant. Præter variolas, quas infans paſſa eſt, morbum novit nullum, & a 12. annis ancillam egit. Menſes anno ab hinc primos experta, inde qualibet 3tia hebdomade eoſdem habuit, parcos tamen potius quam largos, ac paucis ab hinc diebus pene nullos. Inde a triennio quater V. S. celebravit. Ante annum cum crus tum brachium lateris dextri laſſitudo invaſit, & gravitas, ut quodammodo ſtuperent, quarum frequentiorem recurſum V. S. ad tempus profligabat; cumque aliquot poſt hebdomadis denuo repeterent, eodem rurſus auxilio depellebantur. Hieme anni 1758 laſſitudo ſtuporque artuum iterum reverterunt, haud ita quidem crebro per diem, quamdiu ſerviebat in ædibus, ubi plus in frigore, quam hypocauſto, verſaba-

Hiſt. 164.

a) Fränk. Samml. 6. Band. 31. St. 3. Art. p. 21. ſqq.

batur: at poſteaquam a 2[da] Febr. novis ſe addixit ſervitiis, ubi ipſi plus in calido hypocauſto morandum erat, morbus ejus uſque adeo increvit, ut in vehementiſſimum ſpaſmum, eademque vel die vel nocte quinquies, ſexies, ſæpiuſve repetentem, degenerarit, quem 23[tia] Febr. decies hunc in modum eſt perpeſſa: lævi lateris tum brachium tum crus prehendebat formicatio, totumque corporis latus a capite ad calcem obſtupeſcebat. Tum brachium in ſublime levabatur, antibrachio cum extrema manu verſus pectus curvato, polliceque intra digitos in pugnum collectos inſerto, adeo, ut nemo vel curvato brachio extendendo, vel digitis explicandis par fuerit. Femur ac pes ejuſdem lateris lævi eodem tempore vehementer extenſus obriguit, ac pes introrſum curvatus eſt. Muſculi faciei eodem in latere retro trahebantur adeo, ut os curvum, & oculus lævus exiguus, fierent. Tanti ſimul adfuere dolores, ut ægra gemeret, imo ſæpe vociferaretur. Si paroxyſmi tempore quidquam vel manu tenebat, vel brachio geſtabat, principio laſſitudinis perceptæ illud dimittere, aut prius jam ſeponere cogebatur. Stare tunc operoſe quidem, ac nonniſi curvato in latus corpore, poterat, conſi-

dere

dere tamen non poterat. Inſultus duratio tempus Dominicæ Orationis ſemel iterumve recitandæ haud exceſſit, cujus in fine tam crus quam brachium vehementer tremuit: de nulla autem ſingulari laſſitudine querebatur. Pulſus præſente ſpaſmo parvus erat, celerque, cum magno faciei rubore, poſtea tardior pleniorque, ac paucis poſt minutis ordinatus. Mentem ſpaſmus haud læſit, neque loquelam ſuſtulit, niſi quod ob diſtortum os minus diſtincta eſſet. Redituram acceſſionem ægra bihorio fere ante præſenſit. In ſomno, ſi quieta jaceret, non invadebat, in artubus tamen molimina ejuſdem percipiebantur, continuoque aderat, ſi vel in latus ſeſe puella converterat. Cetera cum cibi tum potus appetentia vigebat. Curatio morbi in primarum viarum ſaburra abſtergenda, catameniis promovendis, ſpaſmiſque ſiſtendis verſabatur. Datum 23tia Febr. catharticum; poſtero tamen die ſpaſmus ſepties repetiit. Hinc 25ta die præſcriptum:

℞. Eſſent. Caſtor.
—— Aſæ fœt.
Liq. C.C. Succin. aa ℥jß.
♌ ⊖ ✶ vin. ℥ß. M. S. mane &
a meridie gtt. 35. ex aqua.

Ante

Ante ſomnum dabatur ℥ unus e ſequentibus: ℞. ℥ epilept. nigr.
℥ milleped.
Borac. Ven.
Sacch. myrrhat. aa ℈ ij.
Croc. Or. gr. viij. M. f. ℥ div. in p. viij. æqu.

At menſes inde nihil moti, ſpaſmodicuſque inſultus indies potius frequentior factus, ut nonnullis nycthemeris ad 24. vel 25. vices redierit. Quamobrem ægræ in ptochotrophium receptæ a 26ta Febr. ad 10mam Martii bis adhuc dato cathartico, & vena in pede ſecta, die 6ta Martii exhibitum electuarium:

℞. ℥ Viſci querc. ℥ſs.
Conſ. fl. Pæon. ℥iij.
Syr. fl. Pæon q. ſ. M. f. Elect. S. ter de die magnit. Caſtaneæ.

Morbo non remittente placuit Phoſphorum experiri. Datum itaque 11ma Martii

℞. Phoſphor. gr. iij. involv. in
Conſerv. Roſar. ℈ j. M. f bolus, ante ſomnum ſumendus.

Poſtero die ægra retulit, vim remedii, mox ut ſumtum eſt, omnes celeriter per artus iviſſe; inſultum tamen prægreſſa nocte rediiſſe quinquies, hodie vero decies quinquies. Iterato ſub noctem remedio inſultus rarior, imo ſi ſe valide non moveret

veret ægra, nullus: dolores etiam inſigniter imminuti. Die 13^{tia} ante ſomnum ſumtis Phoſphori gr jv. ægra penitus convaluit; nihilominus repetitum 15ta die eadem doſi remedium. Abſumtis ita Phoſphori gr. xviij. poſtea ut & nervi robur recuperarent, & reliquiæ materiæ morboſæ, ſiqua ſupereſſet, eliminarentur penitus, die 16ta Martii exhibitus bolus e Camph. gr. v. ⦶ depur. ℈ ß. Conſ. Roſar. gr. xv. ante noctem ſumendus: unde placide dormiit, ac poſtero die mire levatam vegetamque ſe ſenſit. Bolus ad veſperam iteratus. Et cum porro pulſus neque inordinatorum motuum, neque ſanguinis rarefacti indicia daret, 18va Martii & ſequentis quatridui veſpere data Camph. gr. v. cum Sacch. Roſar. gr. xv. Poſtea menſes debito tempore affatimque citra ullum incommodum eruperunt, ſicque medicationi fine impoſito ægra conſtanti poſtea ſanitate fruebatur.

CAPUT VII.

MOSCHUS.

§. 117.

Moſchi quanta ſit in tetano curando efficacia, pluribus conſtat hiſtoriis. ZA-
Hiſt. 165. NETTI *a*) meminit piſtoris 40. annor. qui nudis pedibus ambulans fragmento ligni laricei apicem pollicis induit cum inſigni totius pedis dolore. Inciſione facta eductum ligni fragmentum, digeſtum octiduo vulnus, & ad cicatricem fere perductum. Die 10ma deglutitio ardua, horror febrilis cum vigilia, nervorum ſubſultus, dorſi rigor, ut inflecti non poſſet. Præmiſſis conſuetis, exhibita Moſchi gr. viij. cum ☿ Marchi. ʒß. in Aq. fl. Pæon. & Papav. errat. bis de die morbum in-
Hiſt. 166. tra menſem ſuſtulere. Perinde *b*) virgo 20 annor. a dolio in dorſum impulſo humi ſtrata, ac circa 11mam dorſi vertebram leviter læſa eſt: loco graviter dolenti emplaſtrum anodynum reſolvens impoſitum. Noctes moleſtæ. Poſtridie dolor faucium cum anore-

xia

a) Nov. Act. Nat. Cur. Tom. 5. Obſ. 40. p. 148.

b) Ibidem pag. 147.

xia acceſſit : orta febris, difficilis maxillarum apertio, 5^{to}que die accedentibus validiſſimis per intervalla totius corporis concuſſionibus cum inſolita cervicis rigiditate manifeſtus increbuit tetanus. Injectum enema emolliens, vena bis tuſa, datum catharticum, & poſtea MR^{a} analeptico-antiſpaſmodica. Ab his cum morbus ſæpe remitteret, rurſuſque per vices exacerbaretur, ac pulſus valens plenuſque eſſet, V. S in pede facta, datum molliſſimum decoctum copioſe bibendum, tum omni trihorio cochlear ſequentis remedii:

℞. Sacch. Canarienſis ℥jſs.
Moſchi ʒſs.ter. in mort. dein adde
Diacodii ſolidi ℥ij.
Aq. fl. Til.
— Chamæm. vulg. aa. ℥v. M.

Ex hujus uſu ægra intra octiduum ita profecit in melius, ut oborto ſudore levante ſpaſmi ſenſim remitterent, os melius diduceretur, deglutitio fieret expeditior, & febris quoque minueretur. Denique continuato ultra menſem remedio, plus minus uſurpato, præter enemata, ubi opus erat, interpoſita cathartica, aliaque pro re nata remedia, cum debito vitæ regimine, omnia ſenſim ſymptomata conquieverunt, reverſoque ſomno & appeten-

tia ægra priſtinam recuperavit valetudinem. Apud F. S. MORGENSTERN *a*) puer 12. annor. e ſanis parentibus natus, ſanus ipſe quoque, primum cephalalgia ac ſpaſmis circa genua per dies aliquot tentatus, dein quotidiana febre ad 5^{tam} pomeridianam repente correptus, nec ſomno tamen, nec appetitu, ubi illa dimiſit, caruit, nec alvo. Sed poſtea hora ſtata loco febris convulſio venit cum ſenſuum abolitione, anxiaque & ſuſpirioſa reſpiratione, ad mediam uſque noctem affligens: poſtea puer ſui compos ſomnum cepit. Poſtero die inſultus bihorio anticipavit, ſed jam remittens, jam repetens, ad mediam uſque noctem, tandem rurſus deſiit. Die 3^{tio} tres inſultus aderant, unus hora 11ma meridiei horam durans, alter hora 2da a meridie, tertius 11ma noctis graviſſimus cum oculorum gyris, capitiſque retrotractione, per trihorium mortem minabatur. Finito illo ſomnus obrepſit, e quo puer expergefactus, præter improviſos quoſdam pavores, commode habuit. Cauſſa febris præter largum prægreſſum cibum nulla innotuit. Cur autem in convulſiones abiviſſet, nihil

Hiſt. 167.

a) Ibidem Tom. 3. Obſ. 74.

nihil niſi animi affectus, nempe ſtudium, quod averſabatur, metu pœnæ cum faſtidio diuturno cultum, occurrebant. Idcirco data ſalia digeſtiva cum nervinis antiſpaſmodicis intermiſſionis temporibus. Alvus clyſmatibus, eccoproticiſque mota. Sed morbus ad 14. diem uſque idem. Addita amara, roborantia, incidentia, veſicantiaque utrique pedi admota: verum & hæc incaſſum; nam a die 25ta indies fere novum ſpaſmorum genus apparuit: linguam per aliquot dies immobilem ſpaſmus tenuit uſque adeo, ut neque ſub inſultu, neque poſtea æger articulate loqui poſſet, idem mox oculos clauſit, mox labia oris, mox os in utrumque traxit latus, mox aliquamdiu illud apertum tenuit, mox mandibulam convulſit: interdum linguam ex ore propulit. Tandem & emproſthotonus & opiſthotonus acceſſit. Alio tempore brachia diu extenta ſervavit, alio pedes porrecti obriguere; interdum vero e lecto ſubito ſurrectus pyramidis inſtar immotus ſtetit. Cum adverſus hæc mala plurima incaſſum data eſſent, tandem bis terve per diem ſub remiſſione pulveres antiſpaſmodici cum Moſchi gr. iij. pro doſi quotidie exhibiti morbum ſenſim in integrum profligarunt, puerque poſt octo hebdomades a convul-

ſionibus liberatus eſt. Sed impotentia ambulandi cum vitæ debilitate ſuperfuit, nec non circa juncturas artuum, præſertim inferiorum, obtuſus quidam dolor cum levi tumore: quæ balneis ex herbis nervinis ac tonicis, ſimilique juncturarum litu, etiam ſublata ſunt. ACKER-
Hiſt. 168. MANN *a*) quoque infantem 6 hebdomadum, datis omni trihorio moſchi gr. x. cum ſaccharo remixtis ex aqua cinnamomi ſine vino, a graviſſimis nervorum diſtentionibus liberavit. Utrum vero HUCKII *b*) in ægro utilitatis aliquid moſchus attulerit, ſiquidem cum ſummis opii præbiis ſit exhibitus, affirmari nequit. Certe non ubique in tetano perinde felicem eſſe moſchi uſum cum FARR *c*) tum CLEPHANE *d*) obſervarunt.

CA-

a) l. c. Sect. 2. §. 18. p. 47.
b) Vid. §. 124. H. 172.
c) Ibid. Hiſt. 173.
d) Ibid. Hiſtor. 170.

CAPUT VIII.

CASTOREUM.

§. 118.

Caſtoreum ab omni pene ævo adverſus tetanum laudem tulit. ARETAEUS *a*) illud ad pondus obolorum iij. cum mulſa bibi aſſiduo juſſit, quod ſi deglutiri nequiret, in anum cum oleo infundi voluit: imo ulceri inſpergi, nareſque illo perungi ſvaſit. Multum quoque ei detulit MARCELLUS *b*): plurimum BENEDICTI *c*) ægro profuit. H. SCHULZE *d*)
„ novit exemplum viri proceræ ſtaturæ, *Hiſt.* 169.
„ & tanquam quadrati, robuſti, & cetera non certe in umbra molliter educati. Hic cum aperto curru . . . injurias inclementiſſimi aeris, ventorum frigidorum, pluviarumque pertuliſſet, dira corripiebatur colica cum abdominis partium tam vehementi contractione, ut umbilicus omnino ad lumbos intus retractus eſſet. Totum proinde

X 4 „cor-

a) l. c.
b) l. c.
c) l. c.
d) Diſs. de C. H. moment. alterat. §. 36.

„ corpus in anteriorem partem rigide
„ incurvatum erat, ut nullo pacto ſe-
„ met non dicam erigere, ſed vel tan-
„ tillum movere poſſet, robuſtiſque plu-
„ ribus viris opus eſſet, qui admotis ſca-
„ lis de curru ipſum tollerent, inque
„ proximam tabernam deponerent. Ibi
„ quum momento quieviſſet, donec cya-
„ thum potus Caffe appararent, & ſibi
„ ſæpius idem paſſo familiarem medici-
„ nam eſſentiam Caſtorei afferrent, duas
„ forte drachmas hujus eſſentiæ ſimul
„ ebibebat, atque pauculis momentis in-
„ terjectis jam aliquantum ſemet erigere,
„ mox ſurgere, libere obambulare, atque
„ in hoſpitium ſuum pedibus abire va-
„ lebat „.

CAPUT IX.

OPIUM.

§. 119.

Opium in curatione tetani a pleriſque nuper ſpecifici loco eſt habitum, neque id immerito quidem, tametſi paulo poſt efficaciorem illo Mercurium viſuri ſimus.

mus. WHYTT *a*) „ opium (inquit) „ cum in opiſthotono, tum in triſmo „ tonico eſt princeps medicina „. Perinde L. CHALMER *b*), repudiatis omnibus vacuantibus ac irritantibus a therapia tetani remediis, ejus curationem a ſolis balneis calidis opioque exſpectandam eſſe cenſuit. Cum ergo tanta hic opii ſit energia, ſimul autem ea ſit illius indoles, ut Medicus nunquam ſatis ſuperque in eodem exhibendo cautus ac circumſpectus eſſe poſſit, operæ pretium erit, curatius hic de doſi, uſu, effectu, cautelisque, pro eo ac par eſt, agere.

§. 120.

1mo *Præmittenda* quandoque opii uſui ſunt varia pro re nata præſidia; quæ vel materialem tetani cauſſam ſeu tollunt, ſeu minuunt, vel ſpaſmum ipſum oris ac faucium, qui impedit, quo minus opium debita doſi exhiberi queat, reddunt mitiorem. Atque ad poſterius hocce obtinendum CHALMER *c*) balnea calida maxime idonea eſt expertus, quorum a calore ſpaſmum faucium ac maxillæ e-

a) l. c. Cap. 8. §. 1. a.) p. m. 334.

b) l. c. pag. 95. ſq.

c) Ibidem.

gregie remittere vidit: quod in ipſo adhuc balneo exiſtente ægro ſubinde accidit; alias vero haud prius, quam ubi æger e balneo exemtus, lectoque calido compoſitus ſudare occipit; alias etiam nonniſi poſt iteratum balnei uſum: atque in caſu hoc poſtremo, cum in mora ſit periculum, circumſpiciendæ ſunt aliæ quoque viæ, per quas interea opium ægro præberi queat, quas ſuperius *a*) jam innui, præſertim via enematum *b*). Ceterum

§. 121.

2do *Forma*, qua commodiſſime opium exhibetur, quæcunque ſit, parum refert, modo deglutitionis ratio habeatur; ſi enim iſthæc utcunque adhuc ſit expedita, opium crudum in ſubſtantia, formaque ſeu pilularum, ſeu boli, ſeu alia qualibet, præbere licet, & præſtabilius eſt: contra vero, ubi adeo os clauſum eſt, ut nullatenus admittat quidquam, vel deglutitio tam eſt ardua, ut vel fluida ægerrime tranſeant, prudentia dictat, liquidam opii formam eſſe oportere.

§. 122.

a) Vid. §. 104.   *b*) Vid. §. 133. n. 3.

§. 122.

3tio *Doſis* vero maxima digna eſt attentione, tam ratione ſingulorum præbiorum, quam etiam intervallorum, e quibus illorum uſus iteratur; quæ tametſi exacte determinari nequeat, ſed ceteris paribus varie ad morbi vehementiam ſit dirigenda; id univerſim tamen eſt a CHALMERO *a*) obſervatum „ ad ſpaſmum „ hunc tollendum longe majore opii „ doſi, quam ullo alio in morbo, opus „ eſſe, adeo ut ejuſdem quantitas porri„ genda nonniſi ab effectu, quem exe„ rit, ſit æſtimanda „ quod & alii Clinici teſtati ſunt. Summa itaque opii doſi, quam ſecuritas admittit, utendum eſt, inchoando quidem a minoribus præbiis, at ita, ut celeriter ad eorundem augmenta procedatur; id quod binis fieri modis poteſt, vel minora illa præbia e crebrioribus intervallis exhibendo, vel ipſum præbiorum pondus augendo: hoc efficaciorem, ac celeriorem, illud vero ſecuriorem reddit curationem; imo nonnunquam & pondus augere, & e brevioribus intervallis doſes exhibere, ſi utrumque prius ſeorſim fuit inefficax, eſt neceſſe. Namque par-

a) l. c. p. 96.

parcius ac timida manu exhibitum hoc remedium ne lenire quidem morbum eſt obſervatum. Quin imo ſi magna prius doſis opii exhibita vel minuebatur poſtea, vel plane aliquo tempore ejus iteratio negligebatur, morbus ocyus increvit, revocato autem, vel aucto opii uſu rurſus mitigabatur. Id vero hic præprimis eſt mirabile, quod opium, tanta licet doſi, ac inaſſuetis, datum, nec ſomnum, niſi breviſſimum, induxerit, nec ullatenus tentarit caput, nec evacuationes, ſiquæ adfuere, aut imminuerit, aut ſuppreſſerit, ſed multo potius rigidas laxaverit partes, nimiam ſenſibilitatem pacarit, ſalutaremque promoverit diaphoreſin. „ Ipſe „ ego, inquit CHALMER *a*), quando- „ que pro doſi ℞æ opii gtt. 200. ex- „ hibui, quin ægro vel 3 horar. quietem „ attulerint: aliis intra nycthemerum plus „ quam ℥j. ejuſdem dabitur, citra ullum „ inde oriundum ſtuporem. Unde ſpaſmi „ hujus vis evidenter æſtimari poteſt, „ uti & e celeri poſt tantas opii doſes „ illius reditu „ &c. De intervallorum autem, e quibus doſes opii iterandæ ſunt, menſura ita porro CHALMER *b*): ægro e balneo egreſſo opium „ magna illico do-

„ ſi

a) Ibidem. *b*) l. c. pag. 97.

„ ſi eſt exhibendum, eademque omni „ $\frac{1}{2}$ hora, aut e talibus intervallis, intra „ quæ primi præbii effectus determinari „ poteſt, iteranda, ac tamdiu quidem, uſ„ que dum ſpaſmus ſub oſſe ſterni deſie„ rit, ſimulque poſtmodo ceteræ quoque „ convulſiones remiſerint. Cum autem „ evaneſcente opii energia ambo indu„ bie repetant, oportet iſtud convenienti „ tempore, ad illa prævertenda, iterare. „ Æger perinde de neceſſitate opii ſatis „ admonetur, quod exerentem ſe pede„ tentim inſultum, cruciatuumque pro„ greſſum, quæ virtute opii minuuntur, „ præſentiat. Cum iſtud ſæpius obſervaſ„ ſem, dedi operam, ut de eo æger „ identidem interrogaretur, opiumque, „ ſi ita facto opus eſſet, præberetur, „ repetereturque, uſque dum cerneretur „ ſpaſmus præpeditus, convulſiones ſubla„ tæ, cutis totius corporis æquabiliter „ humens, pulſuſque mollis plenus & or„ dinatus. Pro varia dictorum adjunctorum „ ratione poteſt quantitas opii minui, & e „ majoribus exhiberi intervallis; nihilo ta„ men minus uſus ejus diebus aliquot eſt „ neceſſarius „. Quanta vero præterpropter doſis opii pro ſingulis præbiis ſit præſcribenda, ex adducendis poſtea hiſtoriis clarius elucebit.

§. 123.

§. 123.

4to *Contraindicantia* opium in tetano nulla ſunt, niſi ubi quacunque doſi datum iteratumque nil mutat morbum, imo obeſſe etiam obſervatur, quemadmodum in CARTERI *a*), DELAROCHII *b*), ac nonnullis aliis ægris, evenit. Poſſet tamen dubium ſuboriri, utrum non opii uſum contraindicent 1mo Febris, aut inflammatio? 2do Alvus obſtructa? 3tio Clyma? 4to Pericula e majore doſi in millenis mortalibus obſervata?

a.) *Febris*, niſi manifeſte inflammatoria ſit, opii uſui non officit, veluti CLEPHANE *c*) eſt expertus. Ob inflammationis præſentis metum opii in tetano uſum perinde repudiavit BISSET *d*); credidit enim gaſtritidem ejus morbi aut cauſſam eſſe, aut comitem.

b.) *Clyma* quoque, etſi illi metuat BILFINGERUS *e*), cur morari opium debeat, nondum video. „ Sed quis mihi „ (inquit ille) erit vadimonio, ſuperato morbo principali non inſignem debilitatem ſyſtemati nervorum omni in-

„ hæ-

a) Vid. §. 125. Hiſt. 176.
b) Vid. §. 136. Hiſt. 193.
c) Vid. §. 124. H. 170.
d) l. c.
e) l. c. Sect. 7. §. 12. p. 113.

„ hæſuram eſſe ex largo opii uſu? . . . „ In noſtris regionibus mitiora, tutiora, „ ſi incaſſum adhibita ſunt, tunc demum „ in caſibus deſperatis ad opium progre- „ diendum eſſe, me quidem judice, ex „ allatis colligitur. Opium enim anceps „ ſemper eſt remedium „. Sed num minus anceps tetanus? & quis ægro erit vadimonio, dilato opii uſu, illum in craſtinum ſupervicturum? Paciſcine cum tetano datur? Numquid ægra WHYTTII *a*) intra 18. horas, intra 10 $\frac{1}{2}$ hor. vir BURELI *b*), poſt 10 horas BAIONI *c*) Germana occubuit?

c.) *Ætas tenera.* Huic etſi CHALMER *d*) opium exhiberi vetet, tamen illud ſumme ſalutari cum effectu præbuit HILLARY *e*) doſi ſequente: ℞. ▽ᵃ ſem. fœnic. ℥jv. Moſch. Or. gr. j. ♈ᵃ Theb. gtt. jv. Syr. e Mecon. ℥ij. M. D. pro 2. doſibus. Imo majore doſi ſecure fuiſſe datum vidit, ſc. ♈ᵃ Theb. gtt. jv. v. omni 3^{tia} 4ta hora.

d.) *Alvus obſtructa*, familiariſſimum Tetano ſymptoma, magis opii uſui adverſari videtur; etenim ab opio natu-

---

a) Vid. §. 5. A. n. 1. Hiſt. 9.

b) Vid. §. 51. Hiſt. 75.

c) Vid. §. 47. Hiſt. 55.

d) l. c. pag. 103.

e) l. c. pag. 287. ſq.

naturalis etiam alvus ſupprimitur: ubi ergo, veluti hic, ſuppreſſa jam eſt, inexpugnabilem eam opium efficiet, quod ipſe etiam HILLARY *a*) timuit. Sed hæc non alio indigent reſponſo, quam quod TRALLES *b*) ad eadem in ileo, ubi perinde alvus eſt pertinaciſſime clauſa, & nihilominus morbus largiorem opii uſum exigit, repoſuit, videlicet: opium alvum in ſanitate ſupprimit, dum fibras inteſtinorum inertes reddit ac reſolvit, ut impares ſint ob debilitatem feci juſto tempore expellendæ; at ubi eædem violentius contractæ fecem non dimittunt, velut in ileo ac tetano, quid efficacius opio ad eas reſolvendas, atque viam naturalem feci ſpaſmo præcluſam, reſerandam? Tantum enim opii dandum eſt, quo ſtrictura ſpaſtica ſuperetur, non vero ultra nativum tonum fibræ reſolvantur.

e.) *Pericula* denique ex opii liberaliore doſi viſa quod attinet, vera hæc ſunt, imo DELACROIX *c*) ab ipſo opio enemati addito lethalem tetanum obſervavit. Sed numquid repugnat tetanum & ab opio naſci, & aliunde natum opio tolli

---

a) l. c. pag. 279. ſq.

b) De uſu opii ſal. & nox. S. 2. C. 3. §. 14. p. 256.

c) Vid. §. 39. Hiſt. 29.

tolli poſſe ? Idem utique de aliis etiam remediis valet : purgantia ſæpenumero hydropem accivere, aliunde ortum ſuſtulerunt. Diverſa rerum adjuncta diverſos in corpore ab iiſdem remediis effectus cauſſare poſſunt. Experientia vero tam multiplex opii in tetano utilitatem ſatis vindicat, id quod in medium nunc adferendæ hiſtoriæ luculente evincent.

§. 124.

Primus juſtum ac legitimum opii in tetano uſum detexit SILVESTER *a*), qui mulieri e vulnere digiti triſmum cum opiſthotoni inſultibus patienti primum ℞æ Thebaicæ gtt. 20. dein gtt. 40. tum Extr. Opii gr.iij. omni 6ta hora, tandem gr. viij. per diem tanto cum ſucceſſu exhibuit, ut ſpem ſuperaret. Hunc poſtea I. CLEPHANE *b*) eſt ſecutus: murario mediæ ætatis *Hiſt.* 170.
ſano ac robuſto A. 1754. die 12ma April. clavi majoris cuſpis inter gradiendum metatarſum inter bina extima ejus oſſicula tam alte ſubivit, ut totum pene pedem trajecerit Poſtero die noſocomio illatus eſt. Ibi ob do-

a) Vid. §. 164. H. 222.

b) Medic. Bemerk. und Unterſuch. einer Geſellſch von Aerzt. in London. 1. Band. N. 7. p. 46. ſqq.

dolentiſſimum pedis tumorem V. S. facta, e vulnere parumper dilatato tibialis pars, quam clavus illuc ſecum abripuit, exemta: hinc levamen. Vulneris bona conditio, nihilque uſque ad 26 Apr. notatu dignum, niſi quod 18va tuſſis acceſſerit, quam frigus cauſſaſſe credebatur. Diei 26^{tæ} mane valida tuſſis ſicca, dolor punctorius medium thoracem ad vertebras uſque pervadens, ac rigor maxillæ, aderat. Ob celerem, plenum, durumque pulſum detractæ ſanguinis ℥xij. Alvi adſtrictæ cauſſa data MR^{a} reſerans. Veſpere veſicans inter ſcapulas locatum: ob tuſſim MR^{a} ex Ol. Amygdal. cum ♌ CC. & ſub noctem Opii gr. ij. exhibita. Inquieta nox, ſomnus parcus, ac mane inſequenti maxilla rigidior os magis præcluſit. Cetera tamen ſymptomata fuere leviora, quam præcedente die. Cum autem reſerans MR^{a} parum profuiſſet, injectum enema, ac poſt motam inde alvum dabatur quavis 3^{tia} vel 4ta hora e communi julepo ſumendus Moſchi ℈ ſs. Die 28va mane ſymptomata vix erant leviora: moſcho, quod calorem augere viſus, jura tenuiora adjecta ſunt. Nox inſomnis. Die 29na mane tuſſis increſcens, dolor thoracis, dorſi, tormina. Os jam etiam adeo clauſum, ut vix alimentorum aliquid

quid aſſumi poſſet. Acceſſit dolor difficultaſque mejendi, quæ primum calculo, qui olim afflixit, tribuebantur. Unde cum moſcho ſumto per biduum morbus tamen manifeſte creverit, pulſuſque plenus ac celer eſſet, miſſo moſcho detractus eſt ſanguis ad ℥jx. & enema infuſum alvum bis terve movit. Veſpere data Opii gr. ij. omni trihorio deinde repetenda. Prima noctis pars inquieta; at verſus diluculum diei 30^{mæ} Apr. æger dormitare occepit, ac ad 11. horam uſque Opii gr. x. abſumſit. Os jam tantum aperiebatur, ut pauxillum juris tenuis, etſi laborioſe, deglutire poſſet. Tuſſis etiam, doloreſque remiſiſſe videbantur. Interdiu jura carnium q. ſ. veſperi opium, ut pridie, datum. Somnus inde 2. vel 3. horis: mane vero diei 1^{mæ} Maji opii gr. vj. tantum abſumta. Oris priſtinus ſtatus, tuſſis ac dyſuria perinde, dolores mitiores. At calor aderat, cum pulſu celeri, vibranteque, ac multa ſcarlatina. Dies inquieta ac tædioſa Morbo ita comparato veſpertinus opii uſus ſuſpendendus viſus, & diæta priore ſervata adverſus dyſuriam datum Decoct. hord. cum gumm. Arabico. Alvus clauſa enemate cathartico ſollicitata. Poſt totam inquietam noctem ſequens dies 2da Maji evidenter deterior &

maxilla multo, quam pridie, conſtrictior rigidiorque, dolores vehementes, magis tamen nunc in abdomine, exque iſto ventriculum primo, tum thoracem ac dorſum petentes; pulſus multo celerior, ſcarlatina etiamnum. In his rerum anguſtiis ad opium, quod uſurpatum 30ma Apr. ſymptomata imminuit, omiſſum revocavit, reverſi ſumus, datumque omni hora gr. j. Adverſus perſeverantes abdominis dolores injectum ſub veſperam clyſma cum ℥ rad. Valerian. ſilv. ʒß. Diæta prior. Noctu bihorii ſomnus. Die 3tia Maji per omnia melius habere cœpit æger: os amplius apertum, tuſſis minor, dolores omnes præter abdominales, mitiores, exanthema dilutius. Dyſuria tamen, celerque pulſus, manſere. Datum quovis bihorio opii puri gr. j. Noctu ſomnus 2 vel 3. horar. Die 4ta Maji plus levaminis: oris apertura jam tanta, quæ fluida facile admiſit, exanthema diſpalleſcebat, dyſuria remiſit; pulſus tamen, doloreſque abdominis, ut prius. Idcirco omni 6ta hora opii gr. j. datum, repetitumque veſperi enema cum rad. Valerianæ. Die 5ta Maji meliora omnia; præceſſit ab opii gr. iij. ſomnus 2 vel 3 hor. Præcipuæ tantum querelæ de doloribus abdominis cum alvo adſtricta; quamobrem

rem veſpere. clyſma cum ℞ Theb. ℥ß. immiſſum. Exanthema evanuit. Sub noctem Opii gr. ij. cum Aſæ fœt. gr. v. porrecta. Die 6ta Maji dolores priſtini cum tuſſi reverſi, noctu parum dormitavit; ſed maxillæ ſtatus melior, jam enim cochleari ſumebat ſumenda: ideo data MRa e ſperm. ceti, ⊖ vol. C. C. & Elix. paregor. tempore dolorum ac tuſſis urgentis interdum ad cochl. ij. uſurpanda, ſimul illico exhibita Opii gr. ij. repetenda ante noctem & mane ad 5. vel 6. horam. Nox inde pacatior, & mane diei 7mæ Maji maxillæ liberior, quam pridie, motus. Cetera quoque leviora, præter ventris dolores, & alvum toto morbi tempore clauſam, niſi dum remediis movebatur. Veſperi igitur injecto clyſmate reſerante cum rad. Valer. ſub noctem data opii gr. ij. mane iteranda. Die 8va Maji omnia lætiora. Hodie primum pulſus in melius mutatus. Cumque aſſumtio & cibi & remediorum jam etiam foret facilior, ſpaſmus tamen maxillæ lente cedebat. Idcirco antiſpaſmodica in uſum ducta. Dabatur ℥ rad. Valerian. ſilv. ℨß cum Julepo camphorato ter de die, & ſub noctem opii gr. ij. Noctu modica quies: poſtero tamen mane 9næ Maji dolores multo mitiores, urinæ fluxus liber, quietior

pulſus; at maxillæ motus adhuc impeditus, ſub eoque perceptus in articulatione dolor. Quare bina parva veſicantia retro aures admota, ante ſomnum gr. ij. opii. Nox conſecuta prima erat, quæ quietem attulit, ſomnumque 5. horarum. Poſtera die 10ma Maji prima vice alvus naturalis. Nunc & pulſus melior, & maxilla plus faciliuſque diducta. Ergo diætæ ratio habita jam major. At in uſu antiſpaſmodicorum biduum adhuc, triduumve inſumtum. Data MRa aperiens pro re nata, omnique veſpere Opii gr. ij. Die 13tia Maji æger paſtillis aliquot refectus, ac prima vice panis buccellam maſticavit. Die 14ta & inſequentibus continenter, quamvis lente, in melius proficiebat. Anxie demum petens familiæ ſuæ reddi, die 22da Maji, etſi cum maxilla nondum perfecte mobili, eſt dimiſſus, uſus tamen uſque ad 7mam Junii omni veſpere opii gr. j. aut ij. Inde omnibus ſepoſitis remediis ſanus poſtea, etiam An. 1756. die 29na Jan. eſt conſpectus, niſi quod inter labores a frigore ſibi cavendum eſſe obſervarit, quo tempore ſecus levem maxillæ rigorem experiebatur. Vulnus interea & ſemper bene proceſſit, & facillime paucis etiam ante diebus, quam cetera ſymptomata diſparuerint, coaluit. Sanguis e

vena

vena eductus ſemper fluidus potius, quam ſpiſſus, ut generatim in maxillæ tetanis a me viſis, & forte omnibus ſpaſmodicis affectionibus, eſt repertus. Nec illud prætereundum, ægro præter maxillæ tetanum levem etiam cervicis ac dorſi diſtentionem cum ſpaſmo cynico moleſtam fuiſſe. Porro in ſummo morbi gradu, ac ſub maxima Opii doſi nunquam aut dolorem aut ullam aliam capitis ægritudinem fuiſſe queſtum, neque illi ſenſus aut defeciſſe unquam, aut labaſſe. Quanta vero opii doſis fuerit aſſumta, vel inde liquet, quod a meridie 2dæ Maji ad 4tæ ejusdem meridiem (i.e. ex intervallo 48 horar.) Opii gr. 28. & a 29næ April. veſpere ad uſque 4tæ Maji meridiem gr. 44. atque intra 22. dies univerſim gr. 90. ſint abſumta. Eundem poſtea ſucceſſum ab opio larga doſi dato G. MACAULEY *a*) eſt expertus: virgo 28. annorum, pallida, macra, nunquam firma valetudine gaviſa, varioliſque circ. ante ſemeſtre feliciter defuncta, ſæpius etiam, at leviter, calculo renali vexata, catamenia juſta, & noviſſima ante morbum mox narrandum hebdomade larga etiam, ac difficultatem quamdam deglutiendi, cum tenſione ad *Hiſt.* 171.

 radi-

a) Ibidem 2. Band. N. 8. p. 116. ſqq.

radicem linguæ, citra ullum incommodum, experta eſt, cui ſenſim increſcenti acceſſit dolor ſub cartilagine enſiformi & cardiæ, ac tuſſis. Die 23^{tia} Junii Pharmacopœus conſultus, nihil in faucibus morboſi conſpicatus, cum tamen incommodum increſceret, in diem 24^{tam} primum V. S. tum veſperi catharticum ſuaſit. Sanguis cruſta caruit, alvus ter leniter mota: ad tuſſim d ta Emulſio oleoſa, collo fomentum emolliens applicatum. Die 26ta catharticum paulo efficacius datum alvum violente civit. Retro aures veſicantia admota. At nullum ab his levamen. Mandibula ſpaſmo, ſenſim incrementa capiente, correpta, dolorque ſub cartilagine enſiformi ad diem uſque 28^{vam} perinde crevit. Hac die ægra (qua primum eam vidi) atrocem dolorem tenſivum ſub medio oſſe ſterni, in ſcrobiculo cordis, & radice linguæ queſta eſt. Maxillæ adeo conſtrictæ, ut ægerrime planum cochlearis manubrium intra ſe admiſerint; maſſeteres duri, rigidique; pulſus lentus, debilis; lingua, quantum introſpicere licuit, inculpata. Tuſſis muci aliquid e thorace facile eliciebat, ſed ejus rejectionem dentes arcte commiſſi laborioſam fecere. Vires projectæ, ſpiritus gemebundus, facies mœſta. Cibi ſolidioris

ris os nil admiſit, ſed liquida ſuctione dentes tranſibant, paulatimque ſat commode deglutiebantur. Urina & parca, & difficulter miſſa. Tametſi vero ægra mento pectus, ut in Emproſthotono uſuvenire CELSUS notat, non attigit, caput nihilominus antrorſum inclinatum perpetuo habuit, muſculique caput, cervicem, ac dorſum flectentes erant rigidi admodum. Idcirco datus mox hauſtus cum ℞æ Thebaicæ gtt. 10. repetituſque poſt horam, dein omni bihorio. Loco dolenti emplaſtrum ex Opii & gumm. Galb. æquis partibus impoſitum. Nox inde tolerabilis cum ſomno circ. 4. horarum, cutiſque madore. At lotium parcum cum ſedimento nitente, & ad violaceum vergente colorem. Mane diei 29næ poſt ſumtos jam 7. hauſtus opiatos, dolor thoracis mitior, dentes pauxillum ceſſere. Ideo hauſtus opiatus non niſi omni 4ta hora datus; at veſpere continuo deteriora omnia: vires exſolutæ, pectus oppreſſum, pulſus debilis, dentes arctius commiſſi. Alvus a die 27ma clauſa enemate molli mota. Hauſtus opii prior omni 3tia hora imperatus. Nox ab his commoda, & diei 30mæ mane melius habuit: reſpiratio liberior, pulſus vegetior, maxilla paulo plus, quam veſpere prægreſſo, cedens. Opii

ergo uſus, cum caput non tentaret, continuatus. Nihilominus res ægræ veſperi pejor: maxillæ plus cohæſere, urina parciſſima, & hauſtu priore licet continuato pulſus hora 11ma noctis valde fortis nonnihilque irregularis, urina tota nocte nulla. Die 1ma Julii mane ſymptomata vehementer aucta: vires dejectæ, maxillæ & colli tenſio, oppreſſum pectus. Datum enema e terebinthina, & potiuncula cum camphoræ gr. x. & pauxillo ℞æ Valerianæ ad horam 10^{mam}. Hora 1ma levamen: ſed maxillæ tenſio perſtitit, & muſculi oris collique evidenti ſpaſmo tenebantur. Opii ergo doſis aucta, ſcilicet ℞æ Theb. gtt. 20 in Julepo camphorato omni 3^{tia} hora ad tres vices, dein omni 4ta hora datæ. Nox inquieta; mane tamen diei $2^{dæ}$ Jul. ægra pacatior. Tenſio maxillæ, oris, colli prior, & ſimul in aliis quoque corporis partibus rigor perceptus: urina pauca cum multo ſedimento, circa veſicam tamen plenitudo non percepta, ut proinde pateret, urinam ne ſecerni quidem. Bibit ægra multum decocti hordei cum ⦶: potiuncula prior omni 3^{tia} hora data, & enema e terebinthina iteratum. Julii 3^{tia} idem ſtatus. Abdomen molle. Svaſi balnea calida, a quorum uſu per 20 minuta levamen

men, ſed ſimul menſes inde moti hebdomade anticiparunt, urinaque largior prodiit cum levamine. Inquieta tamen erat ægra. Renovatum emplaſtrum ex opio & Galbano. Noctu ſomnus, & urina uberior cum multo etiamnum ſedimento. Julii 5ta idem fere ſtatus, niſi quod pulſus bonus. Ob alvum a 1ma Julii clauſam injectum referans enema: & quia opium ſpatio hebdomadæ ultra gutt. 500 ſumtum exiguum tantum levamen tulit, ſepoſitum eſt, ſubſtitutaque antihyſterica potiuncula (quod ſimul hyſterica multa ſymptomata adeſſe viſa) cum pauca ℞a Valer. & Caſtor. ex qua mox, ac dein ſingulis 6 horis, ſumendum erat. Totum ſimul collum aliquot abhinc jam diebus fricabatur Balſ. anodyno cum aliquo ſemper levamine. Ægra toto hoc tempore præcociter loquuta, nec niſi aliquot voces, uſque dum inſpiraſſet, ac tum rurſus pergebat, ſimul queſta, dolores ab loquela ſibi cauſſari. Mens tamen ſemper integra, liberumque caput. Julii 6tam nox præcedens mala; maxillæ plus quam alias unquam conſtrictæ, muſculi colli rigidiores, ſpiratio deterior, inquies aucta, & 26 horarum iſchuria opium male ſepoſitum arguebant. Id circo ℞æ Theb. gtt. 30. omni bihorio per tres vices, dein

dein omni 4ta hora, imperatæ. Quo factum, ut ſexies ſumtum remedium & ſomnum reficientem cauſſarit, & dimiſerit plus urinæ ægra, & die 7ma Julii maxillæ fere ad $\frac{1}{2}$ pollicem diduci potuerint: omnes muſculi colli laxiores fuere, liberiorque ſpiratio. Eapropter opiatum remedium omni 6ta hora iteratum, etiam die 8va 9na Jul. quibus diebus tantillo pejus habuit, uti & Julii 10ma, qua die ſimul toto corpore miliaria prodiere; pejuſque ægra, ob remedium opiatum non niſi ter aſſumtum hodie, conſequenti die 11ma Jul. habere cœpit: ſumme enim debilis facta, & maxillas arctiſſimas rurſus habuit. Ad ſingulas itaque doſes additæ adhuc ℞æ Theb. gtt. x. ac Mithridatii ℈ j, quæ omni 4ta hora dabantur. Unde 12ma Jul. rurſus omnia lætiora: os longe plus jam, quam unquam alias, aperiri potuit, ex quo ægræ medicinam feci. Julii 13^{tia} prior ſtatus, priorque medicina; ſed rurſus balneum, a quo jam levamen ſemel experta eſt, ſuaſi. Julii 14ta ut pridie, & copioſa urina fluxit; queſta tamen ægra de ſpaſmo ſeu tenſione ſub ſterno, ac maxime de flatuum incarceratione, a queis emiſſis ceterum ſemper valde levaretur. Potiuncula prior, & ſimul quotidie balneum imperatum. Julii 15ta querelæ de

collo:

collo: potiuncula bis tantum ſumta. Noctc prægreſſa ter alvus prodiit (prima dejectione admodum difficili), quod prima vice toto morbi tempore abſque remediis accidit. Urina quoque copioſior. Alvum promoturus dedi potionem catharticam, & opiatum præcedens pro re nata continuandum; die 16ta Jul. catharticum 3. vel 4. dejectiones magno cum levamine cauſſavit. Maxillæ & colli immobilitate adhuc aliqua perſtante uſa eſt aliquot diebus continuis balneo calido, ac opiatum ſemel biſve per diem ſumſit. Cœpit inde cibis ſolidioribus veſci, noctuque placide dormire. Valida illa circa thoracem tenſio mitior facta; urina optime fluxit, alvuſque plerumque bis quotidie ſpontanea fuit. Julii 23^{tia} liberi aeris ergo rus conceſſit. Suaſi per aliquod adhuc tempus opiati omni veſpere, & cathartici bis vel ter uſum, alterniſque diebus, quàmdiu ſymptomata aliqua ſupereſſent, balneum calidum. Exanthema diei 10^{mæ} nunquam penitus, præſertim e collo ac pectore, evanuit, ita ut, quo tempore ægra rus petiit, quædam adhuc illius maculæ in pectore viſerentur. Notandum vero eſt, inter principia morbi jam leve prorupiſſe exanthema, quod pro parte iterum deceſſit, donec die 10ma confertim prodiiſ-

diiſ-

diiſſet. Ruri poſtea ægra indies in melius profecit, brevique ſine ulteriore auxilio perfecte convaluit. Horum veſtigiis pari cum felicitate inſtitit R. HUCK *a*) : Hiſt. 172. militi 23 annos nato, gracili, at ſano A. 1762. Jan. 15ta globo tormenti brachium vulneratur. Chirurgus dexterrimus explorato vulnere amputatione opus eſſe cenſuit, quam, ob caput oſſis humeri comminutum, in ipſa ejus cum ſcapula junctura inſtituere oportuit. Sub operatione integumentis communibus, quoad ejus fieri poſſet, parcebatur: vulnus inde bene procedebat; ſed ob largum puris in tanta ſuperficie proventum datus cortex Peruvianus. Nihilo tamen ſecius Febr. 8va vires multum defecere, ſimulque carnis papillæ, hactenus rubræ, nunc pallidæ pellucebant, humorque tenuis ac fœtens profluebat. Quare e noſocomio navali in continentem eſt 9na Febr. transmiſſus. Febr. 10ma colli & maxillæ rigor ſupervenit. Fiunt fotus, ac deinde partes affectæ oleo camphorato perfricantur. Poſtero die morbus crevit: maxillæ conſtrictæ; collum cum tota dorſi ſpina rigidum; pulſus parumper a ſano diverſus. Partes rigidæ fotæ, deinde oleo comphorato

---

a) Ibidem 3. Band. n. 31. p. 276. ſqq.

rato cum R^a Theb. perfrictæ, quod toto morbi tempore quotidie bis peragebatur. Vulnus deligabatur cataplaſmate e mica panis cum lacte: alvus, ubi oportuit, enemate aperta ſervabatur. Alimenta fuere alica avenæ, panatella, jura carnium cum pauco vino. Tum remedium

℞. Moſchi gr. x.
Ther. Androm. ℈ j.
Extr. Thebaic. gr. j.
Syr. ſimpl. q. s. M. f. Bolus 3^tia quaque hora ſumendus.

Die 3^tio rigor major, deglutitio ardua. Idcirco medicamentum fluidum eſt exhibitum:

℞. Julep. e moſch. ℥viij.
R^æ Thebaic. ʒß. M. S. cochleatim.

Abſumſit quantitatem hanc quotidie ad uſque diem 6^tam, qua ſpaſmi inſigniter remiſere. Ob nauſeam remedii datum eſt omni 4ta hora Opii gr. jß. Die 7ma morbi maxillæ plus conſtrictæ: ideo omni die ſexies dabantur Opii gr. ij. Die 8va ſpaſmi adeo aucti erant, ut opii pilulæ deglutiri nequirent: exhibitæ ergo Julepi e Moſcho ℥viij. cum R^æ Theb. ʒj. intra nycthemerum abſumendæ. Die 9no in pejus res ruebat, dolor ſpaſticus ſub cartilagine enſiformi, huic morbo certus co-

mes

mes, quia crebro vehemens redibat, momentoque ab ſterno in dorſum trajiciebat, Opiſthotonum cum ſpaſmo cynico, ceteriſque ſuis ſymptomatis invexit. Convulſiones, tempeſtaſque fervida, ac veroſimiliter etiam remedia ſimul effecere, ut æger conſtanter ſudaret. Datum

℞. Moſchi ℥ß, teratur cum
Sacch. q. s. adde
Opii ʒj.
Julepi commun. pint. j. M. S.
ſæpius cochl. ij.

ut intra 24. h. abſumat. Hujus in uſu perrexit ad 13um uſque, ac tum, quia in melius profecit, ejus quantitas $\frac{1}{4}$ parte eſt imminuta. Vulnus quoque ad meliorem ſtatum redactum vulgari iterum methodo linteo ſicco deligabatur. Mane diei 15^{ti}, cum ſemper melius haberet, MR^{a} ultimum data, nec niſi cum $\frac{1}{2}$ Moſchi doſi. Cum autem eam noctu cuſtos ægro dare neglexiſſet, die 16to maxillæ utcunque rurſus conſtrictæ fuere; ſed iterato ordinate remedio die 17mo multum eſt levatus, ac die 19no ab omnibus ſpaſmodicis ſymptomatibus libero datum eſt Opium ſolum parcioribus doſibus, & e majoribus intervallis uſque ad 8^{vam} Martii, qua ejus uſum penitus ſepoſuit, ac 24ta Martii vulnere conſanato æger perfecte

ſecte convaluit. Hos porro Obſervatores imitatus eſt W. FARR *a*) : nauta 26 annorum, ſani habitus, macer, dies aliquot tuſſi cum dolore pectoris detentus, Junii 1ma A. 1764 ſenſum in ore, præſertim ad radicem linguæ, inſolitum, nec verbis explicandum, cum levi dorſi dolore, eadem tamen die increſcente, percepit. Veſperi præſcriptum catharticum vehementer, & cum torminibus, alvum ciVit. Symptomata ad diem 4 perſtitere, quo tuſſis dolorque pectoris evaſit deterior, queis acceſſit dolor lateris dextri, V. S. tamen, ac veſicante ibidem poſito ſublatus. Junii 6ta noſocomio illatus eſt cum rigore maxillæ & ore adeo clauſo, ut apicem digiti parvi ægre admiſerit: inferiorum quoque artuum magnus aderat rigor. Cauſſa morbi ſollicite quæſita nil repertum eſt, præter leviſſimum vulnus ſcalpello primæ digiti indicis phalangi inflictum, ac jam tum pene coalitum, quod principio etiam tam leve fuit, ut ſymptomatis enarratis inducendis par eſſe neutiquam videretur. Interea me adhuc ad lectum adſtante æger valido ſpaſmo correptus eſt. Faciem ſpaſmus cynicus diſtorſit, frons naſuſque rugas collegerunt,

Hiſt. 171.

a) Ibidem 4. Band. n. 7. p. 76. ſqq.

runt, & malis poſtrorſum tractis dentes penitus in conſpectum venere. Maxillæ nunc arcte coiverunt; caput poſtrorſum retractum eſt: cervix, ſpina dorſi, artuſque inferiores penitus obriguere inflexiles; abdomen a muſculis ſuis violente contractis erat coarctatum. In hoc ſtatu æger per 5 minuta fuit: poſtea ſymptomata ſenſim minuebantur, ſecutus ſudor, inferiorum artuum rigor utcunque remiſit, & os aperiri, ut prius, potuit. Hi ſpaſmi, ut accepi, quovis binorum prægreſſorum dierum nycthemero 10^es aut 12^es repetiere, narravitque æger, eorum ſe adventum ſemper e prævio dolore ab regione iliaca collum petente præſenſiſſe. Locus a me exploratus nihil vel viſui vel tactui ſingulare exhibuit, neque meminit æger, ſibi adverſi quid ibidem unquam accidiſſe. Pulſus in ſpaſmo celerior, alias utcunque ordinatus. Notatu dignum eſt, a ſpaſmo cynico intra breve hoc tempus ægri faciei notas ſenii, etiam extra inſultum, tam alte fuiſſe impreſſas, ut dum ipſe mihi ſemel atque iterum de ætate percontanti ſancte affirmaret, ſe 26 annis haud eſſe majorem, crederem vi morbi mentem quoque fuiſſe contactam, quippe qui cum mihi, tum adſtantibus ut minimum ſexagenarius ſit viſus. Tuſſis nunc perquam mole-

moleſta aderat, ſputis educebatur non ſine magno conatu copioſa materia lurida, fœtenſque, & olidus ejus halitus tolerari non potuit. Cum autem, ex quo memoratum ſuperius catharticum ſumſit, non dejeciſſet, datum lene purgans, quo multa dura fex educta. Abdomini fotus emollientes impoſiti, & omni 4ta hora exhibita potiuncula e Sperm. Ceti, ⊖ C.C. cum ℞* Theb. gtt. x. Pro potu communi datum decoctum pectorale, cum jure, panatella, & alica avenacea, ſi deglutire valeret. Junii 7ma balneo calido immiſſus, remedia priora data; ſed nihil ex heſterno mutatus eſt; nox quidem priorem paulo quietior conſecuta. At Junii 8va ſpaſmi multo vehementiores: abdomen conſtrictum duritie aſſerem æmulabatur; maxillæ arctius etiam coivere, artuſque inferiores tempore ſpaſmi inſtar perticæ ferreæ inflexiles obriguere; ſudores viſcidi ac frigidi crebro oborti. Opii ergo doſi auctiore pugnandum fuit. Omni hora datum in pilulis Opii gr. j. cum confect. cardiac. gr. v. Adjuncta Emulſio e Sperm. Ceti, oxim. Scillit. & Elix. paregor. parata, cujus cochl. ij. interdum, tuſſi urgente validius, propinanda fuere. Balneum calidum repetitum. Junii 9na ad meridiem inde ab hora 3^{tia} pomeridiana

heſterna Opii gr. xjv. abſumta omnia meliora reddidere: os amplius apertum, genuaque parumper flecti potuere, licet primus ſemper conatus ſpaſmum cynicum excitarit: ſudores heſterni frigidi deſiere, quorum in locum toto corpore calor ſucceſſit. Verum abdominis tenſio ac durities etiamnum ingens, & a biduo elapſo alvus clauſa. Injectum enema emolliens, omniumque priorum uſus ulterior imperatus. Junii 10ma enema datum 12ma hora noctis primum abſcedens magnam ſaburræ fuſcæ vim ſecum eduxit. A balneo refectum ſe æger ſenſit, ut minori jam aliorum auxilio ad egrediendum ex illo opus, quam alias, haberet, nec poſtea vehementem ſpaſmi inſultum amplius perpeteretur. Muſculi tamen maſtoidei inſigniter rigidi, maxillæ heſternus ſtatus, nempe dehiſcens digiti parvi apicem in os admittebat; pulſus plenior, utcunque regularis; ſudores plurimi, nec viſcidi, nec frigidi; abdomen eodem gradu tenſum; tuſſis moleſta cum ſputis copioſæ materiæ purulentæ. Ab heſterno meridie opii gr. xij. abſumta; remediorum & balnei calidi uſus ulterior, ut ante, injunctus. Veſpere hora 9na urina ſubſtitit, ac maxillæ arctiores factæ; utrumque tamen brevi tranſiit. Noctu ſomnus bonus.

Ju-

Junii 11ma pulſus ordinatus, fortiſque; abdominis tenſio minor; æger in lecto erectus ſedit, genua citra dolorem movit, ac multa cum appetentia jura panatellamque ſumſit. Sed tuſſis moleſta pergit, ſputa tamen copioſæ materiæ purulentæ, luridæ, olidiſſimæ facilius prodeunt. Ob alvum a diei $9^{næ}$ veſpere ſuppreſſam data potiuncula cathartica: cetera, ut alias, continuata, & ab heſterno meridie opii gr. xij. ſumta. Junii 12ma ægri res multo deterior: caput valide retrotractum, muſculi colli abdominiſque rigidiſſimi, pulſus tamen regularis, appetitus bonus. Pectus & abdomen miliaria cœperunt obſidere. Quia cathartica potio nil effecit, datum ſimile clyſma cum optato effectu. Balnei, remediorumque uſus prior, niſi quod pilulæ opiatæ omni hora ad 3^{am} pomeridianam uſque, dein vero omni bihorio exhibitæ; & ab heſterno abſumta opii gr. xji. Junii 13^{tia} ſomnus variis vicibus noctu obrepens opii non niſi gr. xiij. ſumi ſivit. Inde pulſus plenior, celerior; os amplius pateſcit, rigor muſculorum colli levior, neque caput adeo retrotractum. Interea ad omnem ſubitum motum ſpaſmi revertuntur, & abdomen adhuc multum intentum eſt. Contra mitior tuſſis, ſputa liberiora, plura in

pectore miliaria prodiere. Cum multo ante bis in maxillæ tetano moſchi cum opiatis periculum feciſſem,nullo inde obſervato effectu, niſi quod pulſus multo plenior evaſerit, cumque experiri voluiſſem, utrum alia antiſpaſmodica addita curam accelleratura eſſent, quantumque emendatio hactenus obſervata opio tribuenda eſſet, idcirco hujus in locum præſcripſi pro omni 3^{tia} hora bolum:

℞ Camphoræ gr. v. tere cum
Mucilag. G. Arab. q. s. adde
Aſæ fœtid. gr. iij.
Confect. Cardiac. q. ſ. M. f.
Bolus.

Verumtamen ſimul & balneo, ut ante, & noctu Opii gr. iij. uti juſſi. At Junii 14ta æger multo deterior, puſillanimiſque, licet 4. bolis & opii gr. iij. ſumtis. Sub 4^{tam} horam matutinam tormina, validaſque abdominis tenſiones querebatur, miliaria ferme evanuere. Ob alvum a 12ma Jun. clauſam injectum enema, & balnei loco fotus lenientes per diem ſæpius abdomini applicati, rurſuſque omni hora Opii gr. j. & ſub noctem gr. iij. exhibita, ita ut ab hodierno meridie ad uſque Junii 15^{tam} gr. xx. abſumſerit multo cum levamine; nam miliaria denſe rurſus toto corpore prodierunt. Tenſio abdominis etiamnum magna;

gna; fotus tamen lenimen creant. Quantum per ſpaſmos licet, æger genibus curvatis jacet, ac ubi primum crura extendere tentat, continuo vehemens inferiores artus invadit ſpaſmus. Cetera tuſſis fere eadem, eademque ſputa copioſa, haud ita jam tamen lurida, remedia per inde priora, ut heri, abſumſitque ab hodierno meridie ad Jun. 16. opii gr. xxvj. Bono eſt animo, & per omnia melius, quam unquam alias inde a primo inſultu morbi, habet; os plus hiat. Hodierno mane æger citra aliorum adminiculum in batillum ſe locavit, copioſamque naturalem alvum poſuit. Appetitus viget; pulſus diſcretus & fortis. Datum omni bihorio opii gr. j. & ante ſomnum gr. iij. Singulis binis conſequentibus diebus abſumta opii gr. xv. Tenſio abdominis multum imminuta, maximus muſculorum rigor ſupereſt in nucha. Tentantem caput antrorſum flectere prehendit plerumque ſpaſmus. Sputa adhuc copioſa purulenta cum ſtriis ſanguineis. Præter priora remedia datus Julepus e camphora cum aceto paratus, ad cochl. jv. interdum ſumendus. Per Junii dies 19. 20. 21. ſingulos opii gr. xjv. exhibita. Cum autem, quoties alvus ſubſiſteret, æger ſemper fiebat deterior, enematibus illam apertam

teneri juſſi. A multis diebus pulſus regularis, appetitus vigens; at vires tam debiles, ut vix ſolus ſtare poſſet. Magnum adhuc in toto colli ambitu dolorem, & in humeris, querebatur, ad quos unguentum ſequens infricandum concinnatum: ℞. Camphoræ ℥j.

Ol. Olivar. ℥ij. f. ſolutio.

Remedia cetera, ut ante, uſurpata. Junii 22da 23tia quotidie opii gr. xjv. Heri a meridie primum ambulare æger paululum cœpit. Rigor adhuc notabilis muſculorum colli & abdominis. Ob alvum, licet quotidie enematibus prolectam, nihilominus difficilem datum catharticum, a quo 4 vel 5 dejectiones magno cum levamine. Junii 24ta 25ta heſternæ opii doſes. Promtius graditur æger; ſed magnum ſub ſpuriis lateris dextri coſtis dolorem queritur. Poſt conſveta remedia pro poſtero mane catharticum nupernum datum, quod Junii 26ta alvo 5es vel 6es mota dolorem lateris ſuſtulit, ægerque omni ratione melius habuit. Hodie, & Junii 27ma opii doſis prior; inceſſus melior, abdominis tenſio, rigorque muſculorum colli notabiliter remiſit; tuſſis lenior, licet cum multis adhuc ſputis purulentis. Huc uſque ſemper dolorem, de quo jam principio in dextra iliaca regione

que-

querebatur, habuit: idcirco locus oleo camphorato perfricabatur. Cumque in eodem latere ſupra criſtam oſſis ilei tumor apparuerit, poſt frictionem oleoſam partis, impoſitum ſequens emplaſtrum:

℞. Empl. de Cymino ℥ij.
Camph. in ſ. q. Ol. Oliv.
ſolut. ℥ſs. M. f. Empl.

Junii 28va 29na 30ma abſumta opii gr. xxxvj. Emendatio eſt conſtans. Eapropter Opii quantitas imminuebatur uſque ad gr. j. ter de die, & ante ſomnum ad gr. iij dandum. Emulſum cum oxim. Scillit. &c. ut prius uſurpatum eſt. Diebus 1ma 2da 3tia 4ta 5ta 6ta Julii ſingulis opii gr. vj. exhibita. Sputa & pauciora, & melius colorata. Multo melius ambulat æger, & corporis habitus ab alimentis proficit. Cum ex hoc tempore nulla ſeu tetani maxillæ ſeu opiſthotoni recidiva contigerit, ſufficiet notaſſe, ubi ab ſepoſito opii uſu æger minus recte habuiſſet, futurum proficuum me cenſuiſſe, ſi ægrum ejus in uſu ad 21mam uſque relinquerem; ac tum poſtremis 2 vel 3 diebus ſub noctem tantum gr. iij. dari juſſi. Notatu dignum eſt, ægrum, tametſi ſpatio trium hebdomadum plus quam drachm. 5. opii abſumſerit, ab eo tamen ne minimum quidem ſtuporem, neque aliud capi-

tis incommodum toto morbi tempore fuiſſe expertum, neque ſputa ſubſtitiſſe, ut multo potius omnia contra evenerint. Verum tamen licet Opiſthotonus reverſus non ſit, æger ob alia incommoda haud prius, quam medio Septembri, ita convaluit, ut ad labores aptus eſſet. Satis ſit, generatim meminiſſe, tuſſim ac ſputa fuiſſe Gum. ✱co, Scilla, & Opio leviora reddita. Ob magnam ventriculi & inteſtinorum debilitatem cum flatibus, abdominiſque tumore, conjunctam datas fuiſſe pilul. gummos. Ph. L. addito iiſdem Sapone, Rheo, ☐ ⊕lato, & extrinſecus Theriac. ANDROM. applicatam. Curam tandem Cortex Peruv. cum Valeriana abſolvit. Contumaciſſimum ſymptoma fuit tumor ſupra criſtam oſſis ilei, qui tandem, poſt varia externa remedia, fomentis primum e ſaturato Cicutæ decocto ſedulo applicatis, deinde impoſito Empl. e Cicut. cum Ammoniaco Pharm. Edinburg. eſt diſcuſſus. Neque WINSLOWUM *a*) nuper fefellit eventus. Atque ex his exemplis abunde, opinor, apparet, quantam ſæpe opii doſim in tetano exhibere & tuto liceat, & oporteat? quibus ex intervallis eadem ſit repetenda? quam religioſe

ligioſe

a) Vid. §. 54. n. 8. Hiſtor. 108.

ligioſe cavendum ſit, ne vel una vice intermittatur, minuaturve? &c. Sed omnes hos caſus longe ſuperat alius ARCHIB. GLOSTERI *a*), plane ſtupendus! nimirum æthiops 40 annor. poſt ſummum diurnum fervorem toleratum nocturnæ ſe auræ imprudenter exponens tetano univerſali correptus eſt. Data altero morbi die omni trihorio opii gr. v. cum Contrayerva, Nitro, & Camphora. Augebatur deinde inſigniter doſis, addito ſimul moſcho ac cinnabari, adeo ut demum omni trihorio darentur opii gr. xx. Primis 6 diebus nulla emendatio ſecuta; poſtmodo vero ſymptomata ſenſim remiſere, ægerque 13tia die nullis ultra remediis opus habuit. Præter dicta nervina balnea quoque fuere uſurpata, enemata, fomenta, linimenta, frictioneſque. E ſolo autem opio primis morbi 17 diebus æger 500 grana abſumſit. Quantæ admirationi caſus iſte Veteribus fuiſſet, qui cum tetanum frigidis morbis, tum opium venenis quarto in gradu frigidis accenſuere. Interea ipſa illa tantæ opii doſeos neceſſitas in cauſſa eſt, quod illud quandoque cadat in irritum; etenim ſunt ægri, *Hiſt.* 174.

a) Medic. Commentar. von einer Geſellſch. der Aerzte zu Edinb. 1. Th. 1. St. 1. Abſchn. n. 9.

gri, qui opium doſi mediocri ferunt, largiore autem non ferunt, quin inde aut vomitu, aut aliis incommodis laborent, ut puellæ apud DELAROCHE *a*) accidit.

CAPUT X.

OLEUM.

§. 125.

Oleum preſſum blandum quemadmodum extrinſecus, ita interius quoque ſalutarem hoc in morbo præſtat effectum, MORGAGNIUS *b*) de convulſione tonica agens „ VALLISNERIUS, (inquit) nar-
Hiſt. 175. „ rabat, cum vir Patricius convulſivis „ affectionibus jam annum laboraret, nec „ cetera juviſſent, ſucceſſiſſe ſibi curatio„ nem nihil aliud imperanti, niſi ut lo„ co cœnæ ℥ij ſumere aſſueſceret olei ex „ dulcibus amygdalis recens expreſſi „. Juvat nonnunquam oleo nervina ſpaſmos mitigantia conjungere, id quod felici cum ſucceſſu præſtitit CARTER *c*) ſequenti

---

a) Vid. §. 128. Hiſt. 179.

b) l. c. Epiſt. 10. n. 21.

c) Arzneykund. Abhandl. von dem Collegio der Aerzte in London. 2. Band. n. 4. p. 29.

ti in caſu: vir 21. annor. ſanus & quadrato corpore, ante 6 hebdomades cœſtro ſcriniario ad internum dextri pedis malleolum vulnus paſſus, circumacto octiduo ita rurſum inde ſe collegit, ut jam a 14 diebus ſcipionis auxilio domo prodiret, quo tempore vulnus pene jam coivit. Lapſo hoc tempore primum novus ſe morbus oſtendit, qui ægrum rurſus per tres hebdomades, prius quam mea opera uteretur, lecto affixum tenuit. Maji 17ma ad illum accitus, os adeo arcte clauſum reperi, ut nonniſi fluidiſſimo nutrimento, quod perpetuo trans dentes ſugendum erat, concederetur tranſitus. Maxilla, totaque ſpina dorſi, ac femora prorſus fuere immobilia, neque ſecius, quam in cadavere, rigida, caput retrotractum, aderantque crebræ ac vehementes convulſiones. At brachii utriuſque motus parum modo fuit impeditus: ceterum viſus, auditus, ac memoria toto morbo illæſa, ſentiendi vis interdiu exquiſita, noctu vero interdum ſtupor aliquis obrepſit. Pulſus ordinatus, &, ſi a ſano receſſit, tardus potius, quam celer, pleniorque parumper naturali. Appetitus vigebat. Ante meum adventum magnæ jam extracti Thebaici ſoluti glebæ fuere exhibitæ, adeo ut noviſſimis 5. diebus hujus remedii haud minus *Hiſt.* 176.

nus

nus gr. xxviij. cum Moſchi gr. L. nycthemeri ſpatio æger abſumſerit, nullo alio effectu, niſi quod inde ſomnos turbatos, e queis ſæpe magna cum perturbatione, vehementique cephalalgia, ſenſuum pene uſum eripiente, expergiſceretur. Tantam jam opii copiam incaſſum exhibitam cum cognoviſſem, auctiori ejus doſi dandæ magis diffiſus, ad alia converti animum, apud me reputans, morbum eſſe ſpaſmi genus, in quo opii efficacia ab aliis adeo ſalutaris obſervata, haud alia in re, quam ſumma inducta ſolidis laxitate ac reſolutione, conſiſtere videretur. Id ipſum ergo alia via obtenturus veſicans inter ſcapulas poni, maxillæque ac toti ſpinæ dorſi oleum lateritium infricari juſſi; catharticum e ℞^{a} ſacra Jalappæ cum Syr. de Rhamno cath. exhibui, quæ potiuncula poſtea ter adhuc, omni 3^{tio} vel 4to die ab ultima doſi, eſt iterata. Intermediis vero diebus O ei ſuccini gtt. xxx. Aſæ fœtid. ℈ j. olei Amygd. ℥jv. in ſingula nycthemera imperavi. Solis his remediis convulſiones brevi quievere, & æger indies convaleſcebat, donec finiente 2da hebdomade domo prodire poſſet, ac nondum exactis plane tribus hebdomadis omnino convaluit, excepta quadam exigua partium prius affectarum imbecillitate. Morbus

pri-

primum maxillam reliquit, tum ſpinam dorſi, demum femora. Dolor ac moleſtia quædam affectis in partibus, qualem æger nunquam ante perſenſit, oborta ſecuturam emendationem portendebat.

CAPUT XI.

VINUM, AQUA FRIGIDA.

§. 126.

VINUM in tetano apyreto cum vita debili HIPPOCRATES exhiberi jubet, haud dubie ad febrim ſalutarem excitandam, uti ejus ex verbis colligere eſt, *a*); „ niſi febris (inquit ille), & „ ſomnus acceſſerit, & quæ conſequun„ tur urinæ concoctæ, ſudoreſque judica„ torii prodierint, vinum Creticum vino„ ſum bibendum, & farinam coctam „ edendam, exhibeto „. Ita & alibi *b*) tetanicis „ vinum album quam ſuaviſſi„ mum, & copioſiſſimum potui dato „ ait. HILLARY *c*) perinde vini uſum obſervavit eſſe ſalutarem, & DIOCLES etiam vinum

a) De rat. vict. in morb. acut.

b) De intern. affectionib.

c) l. c. pag. 279.

vinum dulce his ægris exhibendum ſuaſit, teſte C. AURELIANO *a*) ; iſte tamen & COO & DIOCLI contradicens „ eſt vinum (inquit) repugnans, priusquam paſſio declinaverit; & quamquam „ omne, magis tamen dulce, quod & „ opportune datum inflat, denique etiam „ jam ſanos indigeſtos atque inutiles & implicitos facit. Eſt etiam profecto peccantius prohibito cibo vinum dare „ : cujus ſententiam CELSUS *b*) quoque amplexus eſt. Hæc autem AURELIANUS de ſtatu morbi dicta vult ; nam in declinatione ad cibum firmiorem vinum quoque addi ſuadet „ qualitate atque natura „ & quantitate congruum „.

§. 127.

AQUA *gelida glacies*ve in hyſtericarum tetanis quandoque omnibus aliis remediis palmam præripiunt, cujus generis obſervationem ſuppeditat TAILLIE-
Hiſt. 177. RE *c*) : puerpera trium hebdomadum a leviſſima animi commotione male habere ſolita, infante ante 12. dies morte amiſſo languere cœpit, tum triſtiſſimo perculſa nuncio totam noctem plorans ad 5tam

ma-

a) l. c.
b) l. c.
c) ROUX l. c. T. 31. p. 41. ſqq.

matutinam poſt anxietates ſuffocationem minantes incidit in omnium ſenſuum abolitionem cum immobilitate. Pulſus erat parvus ac inæqualis, gula inflata, facies rubra, maxillæ vehementi triſmo conſtrictæ, palpebræque tam firmiter clauſæ, ut citra læſionem aperiri nequirent. Facta in pede V^æ S^e venit in mentem experiri, quid glaciei virtus hic poſſet; ſed ſummo licet molimine haud plus, quam exiguam ejus moleculam, ori indere licuit, qua tamen ibi vix liquata aliquos jam linguæ motus obſervare erat, ſimulque maxillæ reſiſtentia imminuta eſt; qua proinde magis deducta majus glaciei fruſtum ori immiſſum inſigniter profuit, & ad tertium denique inditum fruſtum ægra oculos aperuit ac loqui cœpit, præteritorum inſcia, & gravativum ſolummodo in regione ventriculi dolorem moleſtiſſimum queſta, quem admota illuc lintea aqua frigida imbuta promte diſſiparunt. Superfuit adhuc triſtitia, animus dejectus, ac leve ſubinde delirium; ſed imperato copioſo aquæ recentis fontanæ potu, ac bis per diem balneis fere frigidis, nec non muſculari motu, brevi convaluit.

CAPUT XII.

MERCURIUS.

§. 128.

Mercurius quantum in tetano profligando poſſit, nuper primum ætati noſtræ detegendi obtigit felicitas. Tanta eſt hujus remedii ad tetanum debellandum vis, tantaque celeritas, ut opio ipſi longe ſit anteponendum, præſertim cum periculum quoque minus ſit a mercurio quam opio, & quacunque doſi facilius præ opio ab ægris toleretur. Quod cum ita ſit, neſcio quid nonnullis haud ita dudum ridiculi viſum ſit, mercurium a noſtro I. PLENCK *a*) inter antiſpaſmodica referri; quis enim unquam vehementior tetano ſpaſmus eſt obſervatus? Cum autem varia ſint mercurii Medicum in uſum genera, nullum eorum hic accommodatius eſſe videtur ipſo *Mercurio gummoſo* PLENCKIANO, ut qui omni acri ſtimulo ſit deſtitutus. Dum hæc ſcriberem, ecce opportune redditæ mihi ſunt litteræ ab experiſſimo Medico Vindobonenſi L. AUENBRUGGER, viro mihi in paucis caro, cujus

a) Aphor. de cogn. & cur. morb. chirurg. Pharmacol. p. 14.

cujus obſervationes Clinicas ob incredibilem ac ſingularem minutiſſima quæque morbi phænomena expiſcandi, adnotandi, atque ad ſe mutuo componendi induſtriam maximi ſemper feci. Perſcripſit mihi caſum tetani mercurio gummoſo ſuperati in hæc verba: „ vir 50. annor. ſanguineo-cho- *Hiſt.* 171.
„ lericus, macilentus, procera ſtatura,
„ nonnihil toroſus, animo irritabilis, at-
„ que in vehementem iram proclivis,
„ biennio ab hinc ex impotenti ira cum
„ reſolutione membrorum lateris ſiniſtri
„ paralyticus concidit; atque ſub applica-
„ tione remediorum tam internorum,
„ quam externorum, uſum membrorum
„ paralyticorum pedetentim recepit. In-
„ terea miſer ſpeciem moroſitatis phan-
„ taſticæ cum imbecillitate memoriæ in-
„ de reportavit, quæ ad phaſim pleni-
„ lunii magis ſenſibilis evaſit, & per de-
„ curſum biennii ſenſim ita invaluit, ut
„ vir a tribus ultimis menſibus hebes ani-
„ mo, debilis & tremulus toto corpore,
„ conſtanter in lecto decubuerit, ac ſub
„ imminenti lunæ phaſi deliraverit: inte-
„ rim appetitum valde magnum habuit,
„ & excrementa legitime egeſſit, ſed
„ perſæpe non admonitus inſcienter ad
„ lectum. Vocabar ad hunc virum 13tia
„ April. 1776, eumque vero rigore ner-

„ vorum ſeu tetano, quem neceſſarii ejus
„ per duos jam dies durare ajebant, pre-
„ henſum inveni. En Ectypon! Æger
„ totus rigidus & diſtentus dorſo incu-
„ buit, acclamatus & variis vexationibus
„ laceſſitus perexigua intelligentiæ &
„ ſenſationis ſigna dedit; oculos, uti in
„ infantibus neonatis ſolet, in idem ob-
„ jectum defixos habuit; in labiis mox
„ orantis, mox ridentis motus expreſ-
„ ſit, loqui volens indiſtincte balbutie-
„ bat; maxillas leviori ſpaſmo arctatas,
„ non tamen penitus conſtrictas habuit;
„ oblata ad deglutiendum liquida ſub
„ quadam crepitante reſiſtentia per pha-
„ ryngis anguſtias demiſit; vultus totus,
„ alias impalleſcens, pulchre coloratus
„ apparuit; pulſus erat frequens, parum-
„ per inæqualis, contractus, & valde
„ tenſus; reſpiratio vero tarda, fortis,
„ & ſuſpiriis quandoque intercepta, duce-
„ batur; de appetitu nihil aliud conſtitit,
„ niſi quod æger oblata liquida non re-
„ ſpuerit: abdomen non tumuit, neque
„ preſſum doluit, neque flatibus diſten-
„ tum fuit; urina inſcio ægro excerne-
„ batur; alvus vero a biduo clauſa erat.
„ Univerſus corporis truncus rigidus, &
„ ligni inſtar arefactus temperate caluit,
„ ſingulare erat, quod brachium ſiniſtrum

„ mi-

„ minus rigidum dextro inventum ſit, &
„ manus ſiniſtra ad pudenda applicata
„ continenter illa palpaverit, & perfri-
„ cuerit, dum interea manus dextra in
„ longum protenſa, mobileſque digiti
„ obrigeſcentes ſpaſticos motus expreſſe-
„ runt. Pedes per intervalla cum tanta
„ violentia in rectum extendebantur, ut
„ extremum lectiſtitium attingentes to-
„ tum lectum fecerint crepitare. Me-
„ mor tunc, dum Viennæ eras, collo-
„ quii noſtri circa pulcherrimum & uti-
„ liſſimum Tractatum tuum, quem de
„ Tetano ejuſque medela proxime eden-
„ dum promiſeras, gratulabar mihi op-
„ portunitatem eſſe oblatam, ſpecificam
„ Mercurii vivi a te commendati virtutem
„ periclitandi, hinc extemplo præſcripſi

℞. ☿ vivi c. mucilag. Gumm. Arab. q. ſ. ſubacti ʒij.
Syrup. flor. pap. rhead. ℥j.
Aqv. ſtill. flor. pap. rhead. ℥jv. M.
Dentur ægro omni bihor. cochl. ij.

„ cum infuſi florum Paralyſeos ℥iij. Mi-
„ rum viſu! poſt abſumtam hanc mix-
„ turam rigidus æger molleſit, & non
„ tantum artus, ſed etiam totum trun-
„ cum, movere cœpit; verum hebes &
„ tremulus, quantumvis leviora ſalivatio-

 nis

„ nis initia per aliquot dies perpeſſus ſit, „ a prioribus miſeriis ſuis nihil emendatus lectulo ſuo adhuc defixus hæret „. Hæc ille. Interea non multo poſt incidi in obſervationem DELAROCHII *a*) de puella 14. annor. uſu Mer- Hiſt. 179.
curii cum externo (de quo plura inferius §. 136. dicentur) tum interno a tetano vindicata. Huic everſus currus manum ſiniſtram convulneravit: primum metacarpi os indici reſpondens erat fractum, pars ejus evulſa; tendines extenſores indicis ac medii digiti contriti ac laceri, iſte ſemilacer, ille prorſus diviſus; aponevroſis palmaris pertuſa. In dextro quoque cubito validum vulnus contuſum aderat, oſſe ad pollicis diametrum nudato. Inſequenti die occipientem cervicis tenſionem reſciſſus tendo ſemilacer ſuſtulit quidem, nihilo tamen minus die 15to ſupervenit tetanus, quem neque nondum natum avertere, neque præſentem tollere valuit largus opii uſus, ac moſchus tanta doſi datus, quanta nemo illum adhuc exhibuit, ſc. ad gr. 150. ſpatio 12 horar. Balnea anxietates & convulſiones cauſſarunt: auctior opii doſis alia incommoda produxit; amputatio brachii a Patre puellæ

---

a) ROUX l. c. T. 45. p. 43. ſqq.

læ vetabatur. Unica itaque ſpes in uſu Mercurii erat, neque fefellit: initio frictiones mane ac veſperi factæ; ſed ob tubercula, pruritum, doloreſque ab iis in tenera puellæ cute inductos, dimittendæ erant, ac ☿ dulcis interne dandus, cujus uſum quotieſcunque vel ptyaliſmus vel ſolus gingivarum tumor excepit, toties tetani ſymptomata manifeſte minuebantur: contra vero ſepoſito eodem rigor ſemper ſummus reverit. Singulare fuit, nocte 23tiam diem præcedente rogaſſe ægram, ut ſibi dexter pes fortiter comprimatur, eo quod multum ſe inde levari ſentiret. Poſt trimeſtre convaluit. Reliquit poſt ſe tetanus cum numeroſos furunculos (quibus frictiones forte originem dedere) tum rheumaticum dolorem ſcapulæ dextræ ac ſiniſtri femoris, qui iſthoc prius, quam illam, reliquit; in femore enim cum debilitate ac atrophia ejuſdem diutius reſtitit. Tanta etiam a tetano ſuperfuit muſculorum dorſi debilitas, ut ægra diu nequiverit corpus erectum, niſi ſummo cum labore, ſuſtinere. Sub finem hujus obſervationis adjicit Cl. Auctor, ſe ab TISSOTO certiorem poſtea fuiſſe redditum, de binis Tetanicis uſu Calomelis reſtitutis. Ex his itaque ſatis liquet (liquebitque etiam poſt-

ea amplius) quanta ſit Mercurii ad ſuperandum Tetanum acutum energia. Non tamen adeo novus eſt illius in Tetano uſus, ut putatur; ſiquidem cinnabarim cum fructu in hoc morbo exhibitam fuiſſe ex Actis Moguntinis *a*) & SCHLICHTINGIO *b*) I. G. WALLERIUS *c*) apud Ill. BALDINGERUM *d*) adnotavit; ſed tum, ut ſæpe fit, nemo rem animadverſione dignam adhuc cenſuit.

---

a) T. 2. p. 423.
b) Travmatol. novantiqv.
c) Diſſ. de Cinnab. in C. H. effectu §. 7.
d) Syllog. ſelect. Opuſc. argum. med. pract. Vol. 1. n. 13. p. 355.

LIBER II.

DE REMEDIIS EXTERNIS IN TETANO.

CAPUT I.

SANGUINIS MISSIO.

§. 129.

Sanguinis miſſio in tetano ſæpenumero eſt perquam neceſſaria, ac teſte HAEN *a*) „ ab ipſo HIPPOCRATE in noſtra uſque tempora fere omnes venam „ ſecant, idque iterato, quoties cum vis „ morbi id peteret, tum vitæ concede„ rent vires „. Quæ eadem fere AURELIANUS *b*) olim præcepit: „ ſi ve„ hementes fuerint dolores (inquiens), „ erit adhibenda phlebotomia, dimiſſio„ nis tempore, atque ante tertium diem, „ ſi paſſio coegerit: ſi minus, in ipſa dia„ trito aut poſt ipſam, viribus permitten„ tibus „.

a) Rat. Med. P. 10. C. 4. *b*) l. c. §. 6. n. 1.

„ tibus „. Indicant autem ſanguinis miſſionem præſertim

§. 130.

I[mo] *Morbus* ipſe. Etenim ſanguis tempeſtive detractus haud raro graviſſimos quoſque ſpaſmos vel minuere vel ſolvere prorſus eſt viſus, præſertim ſi ei ſolennis quædam ſanguinis evacuatio ſuppreſſa occaſionem præbuit, v. g. catamenia, vel alia quæcunque cauſſa ejus ſtaſes induxit. Unde etiam HIPPOCRATES *a*) „ nervorum (inquit) diſtentio circa „ lumbos, & ex atrabiliariis humoribus „ per venas ſpirituum interceptiones ſi „ adfuerint, V[æ] S[e] ſolvuntur „: id quod obſervata confirmant. Meminit PUIOL *b*)
Hiſt. 180. puellæ 16 annor. meticuloſiſſimæ, non dum menſtruatæ, ſemper tamen ſanæ, cui rigidam hyemem expertæ ſub initium Aprilis maxilla inferior obrigeſcere cœpit, malumque ſub finem uſque menſis crevit, ac tum domeſticis diſtrictæ negotiis ſubito reliqua etiam corripuit membra; nam poſt inclinationem corporis reſtituere ſe ſe volentem ſpaſmus prehen-

a) De rat. vict. in morb. acut.

b) ROUX. l. c. T. 26. p. 225. ſqq.

hendens terræ alliſit. Lecto illatæ per 15 dies mulierculæ, primum opem fere- bant, at incaſſum: tum PUIOL accitus ri- gidam reperit, corpore porrecto, ita ut membra omnia unum continuum ſolidum, lapideæ ſtatuæ inſtar, eſſe viderentur. Bra- chia pectori erant appreſſa, abdomen pla- num, inflexile, maxillæ ad ſeſquilineam diductæ, muſculorum autem rigor tantus, ut artus frangi ſe mage, quam flecti, pa- terentur; at linguæ, digitis, oculiſque rubris quidem, ſiccis, ac lucis impatien- tibus, tetanus pepercit: mens ſana, ſpi- ratio libera, pulſus plenus duruſque, ca- lor & urinæ ſecundum naturam, alvus per plures dies clauſa, ſomnus, ex quo decu- buit, ob dolentes convulſivos motus, e tenſione muſculorum crurum ortos, nullus; quos dolores tamen plantæ pedum vi com- preſſæ ſemper minuebant. Cutis perpetuo ſudore rorido, ultra hebdomadem jam præ- ſente, madebat. Primo decubitus tem- pore tumor in dextro colli latere indolens apparuit; at cito diſparens velut auræ fri- gidæ ſenſum poſt ſe reliquit, qui ſpinam dorſi emenſus in totum inde corpus ſe diffudit. Poſtmodo tenſio ſpaſtica inſi- gniter crevit. Bis ſecta vena, enema, re- media refrigerantia, aperientia, diapho- retica, nervina cum anodynis tantillum leva-

levaminis attulere, quin tamen vel ſomnum vel ſpaſmi remiſſionem procurarint. Poſtero die ob anxietatem ad cardiam ♀ emeticus e multa aqua datus alvum tantummodo movit: Væ Sº ceteraque remedia aliquo cum levamine iterata fuere. At 3. 4ve dies abſente PUIOL neglectis iisdem morbus ſtupende crevit, major quam unquam ante aderat rigor, convulſiones crurum vehementiores, deglutitio liquidorum non niſi guttatim ac ſuffocans, nates adeo ſibi mutuo cohæſere, ut nec cannulam clyſteris in anum admitterent, nec fecem ex eodem dimitterent; pulſus minus plenus, at celerior; reſpiratio gemebunda ob crurum dolores, ad quos alius quoque per ſpinæ dorſi longitudinem acceſſit. Redux Medicus mox Væ Sem imperat, & ob levamen inde perceptum per plures conſequentes dies eandem ſemel iterumque repetit: queis effectum, ut & enemata infundi poſſent, & liquidi quidpiam deglutiri. Abdomini fomenta emollientia admota, ſpina dorſi oleo Chamomillæ leniter perfricta, data potio cardiaca ac diaphoretica efficax. Ad hæc febris multum increſcens ſalutarem ſudorem movit. Demum alternis diebus data eccoprotica. Sub finem menſis deglutitio omnino reſtituta, maxilla mobilior facta, crurum ten-

tenſio remiſit, ſomnus revertit, &c. ac finiente Junio perfecta rediit valetudo. Vix ægra oris aperiundi recuperavit facultatem, & cibum continuo petiit, aſſeverans, toto morbi tempore appetitum non fuiſſe imminutum. Sed manifeſtius longe auxilium a ſanguinis miſſione experta eſt FORESTI *a*) puella ad 18. annos nata, quam e frigore & inordinata diæta (ſc. fungorum, uvarum, immaturorumque fructuum eſu) tantus maxillæ tetanus prehendit, ut os occluſum ne acum quidem admitteret, denteſque miſere ſtriderent. Riſus aderat Sardonius, caputque interdum violentiſſime retro trahebatur, convellebantur oculi, manus, pedeſque, ac paroxyſmi, qui crebro repetebat, tempore ægra erat aphona. Status hic 6 dies duravit, malo jam remittente, jam increſcente, convulſiones tamen raro ægram dimiſere. Fruſtra fuerunt nervina antihyſterica interna externaque. Die 6to remiſſionis tempore ſecta vena ſaphæna „ miraculi inſtar omnia dicta ſymptomata „ ſtatim poſt ſanguinis miſſionem ceſſarunt „. Ita etiam *b*) vir ebrioſus pridie diu multumque inhorruit, frigoreque *Hiſt.* 131. *Hiſt.* 132.

a) l. c. Obſ. 116.

b) Obſerv. Clin. ad duct. Med. in Noſoc. Varſav. Faſcic. 1. p. 34.

que concuſſus, vehementer poſtea incaluit. Finitam febrem eadem adhuc die emproſthotonos excepit. Poſtero die noſocomio illatus, depoſituſque humi ſedit, oculis clauſis, manibuſque in pugillum collectis, ac firmiter ori appreſſis. Sex viri illas ab ore abſtrahere, veſteſque exuere non valebant. Frigidam capiti affuſam, & plantam pedis flamma candelæ tentatam ſine ſitus mutatione ſuſtinuit. Poſt fortem totius corporis frictionem ſanguis e brachio ad ℥xxx. detrahitur, & en! ſub ipſo fluxu homo ſui compos fieri, loqui, incedere, quidve ſecum actum foret, percontari cœpit, continuoque convaluit. Perinde BIERLINGII *a*) militem tetanicum ſola Væ So reſtituit.

§. 131.

2do *Febris inflammatoria*, imprimis præſente viſceris cujuſpiam *inflammatione*. Vidimus enim binos HAENII *b*) caſus, in queis tetano acutiſſima febris inflammatoria comes fuit, ſanguiſque ſumme phlogiſticus. Interea tametſi ad præſen-

a) Vid. §. 3. B. n. 2. Hiſtor. 4.

b) Vid. §. 43. Hiſtor. 49. §. 98. Hiſtor. 152.

ſentem hujuſmodi febrem minuendam ſanguinis miſſio multum poſſit, parum tamen in illa ſubinde adverſus tetanum eſt præſidii, ut iidem hi bini caſus docuere. At vero ubi a topica partis cujuſdam inflammatione forte tetanus proficiſcitur, hacce imminuta aut ſublata ſpes eſt ipſum quoque tetanum ſuperatum iri. Credidit BISSET *a*) gaſtritidem ab ſe in tetano obſervatam, quo juvenis quidam tenebatur. Magnus *Hiſt.* 183. illi dolor ſub cartilagine enſiformi in cardia erat, ac epigaſtrio ſiniſtrorſum preſſo vehementer augebatur: pulſus ſubdurus erat, etſi haud ita celer; facies rubra, reſpiratio non omnino libera; æger ſupinus, capite declivi, cervice ac ſpina dorſi extenſis, jacuit: ubi erigere ſe ſe, ac lectum deſerere (hoc enim adhuc, licet 6 operoſe, poterat) conabatur, ſubito vehementi dolore ventriculi oborto ſcapulæ valido impetu retro rapiebantur. Blandiſſimum liquidum deglutitum cardialgiam auxit, opiſthotonumque cauſſavit; nullum tamen æger aut vomitum, aut vomendi conatum habuit. Intra quatriduum detracto ad 50 uncias ſanguine convaluit. Sanguis phlogiſtica cruſta caruit, ſpiſſum tamen coagulum, ac ſuperne læte rubens præ-

a) l. c.

præbuit; raro enim nautis occidentalis Indiæ ſanguis eſt phlogiſticus. Porro
Hiſt. 114. puer æthiops novennis e tetano cum modo dictis ventriculi ſymptomatis, obiit. Cadaveris ventriculus ſphacelatus eſt repertus. Hic quoque æger nunquam ſuo in morbo vomuit. Binis his caſibus poſtea Cl. Auctor rationes adjicit, cur, præſente licet gaſtritide, vomitus in tetano abſit. Sed etſi in binis iſtis caſibus gaſtritis adfuerit, neutiquam ex iiſdem conficitur, ubique illam, ubi dolor ſub cartilagine enſiformi percipitur, præſto eſſe.

§. 132.

Modi autem ſanguinem in tetano detrahendi quatuor præſertim ceteris præferri merentur, nimirum:

a.) *Phlebotomia*, de qua hactenus exempla allata ſunt. In hac vero cautela ARETAEI *a*) minime eſt negligenda: „ ſive ob refrigerationem (ait ille) „ abſque manifeſta cauſſa rigor invaſerit, „ ſive ex vulnere, ſive ex abortu mulieri „ inceſſerit, venam in cubito reſcindito, „ curans in deligando brachio laxiorem „ compreſſionem fieri, ſectionemque leniter & facile expediri; ſiquidem iſta „ ner-

a) l. c.

„ nervorum convulſiones cient. Semel „ etiam cruor citra defectum animæ, friguſque extremorum mediocriter effundatur „.

b.) *Cucurbitæ* ſcarificatæ. De his rurſus ARETAEUS *a*): „ poſt epiplaſmata „ vero utilis fuerit cucurbitula occipitio ab „ utroque ſpinæ latere adhibita; ſed parce admodum flamma accendatur: nam „ quæ ab labris cucurbitulæ fit circumpreſſio, doloris convulſioniſque author „ eſſe ſolet. Igitur diutius trahere præſtat, ac molliter magis, quam plurimum brevi tempore; ſic enim tibi in „ convexum locus ſine dolore attolletur, „ qui concidendus eſt. Scopus autem „ modi ſanguinis extrahendi tibi vires „ ægrotantis proponantur „. Eadem fere AURELIANUS *b*) monet: „ utimur „ præterea (inquiens) cucurbitis, & „ magis cum paſſio ſumſerit ſtatum; ſed „ in acceſſione levibus, in dimiſſione vero etiam ſcarificatione adjecta. Erunt „ autem inſigendæ occipitio & collo. „ Sed aliquando ante impoſitas cucurbitas expreſſas ſpongias ex aqua calida, „ oleo, aut decoctione fænugræci, aut „ lini ſeminis, aut hibiſci apponemus „.

a) Ibidem. *b*) l. c.

Vidimus itaque hoc remedii genus inuſum quidem vocatum fuiſſe, at ea ſemper cum circumſpectione, ut ne tenſionem doloremque juſto majorem excitaret, ſicque, dum lenimen morbi quæritur, augmentum ejuſdem accederet *a*). Unde & HAENIUS *b*) „ cucurbitæ (ait) tam ſiccæ, „ quam ſcarificatæ a multis Medicis even„ tu ſæpe fortunato adhibitæ ſunt. At „ vero cum id, quod avellendorum hu„ morum gratia fit, nonnunquam tenſos „ nimium nervos irritare queat, eventum „ aliquando ſiniſtrum ſortitæ ſunt „.

c.) *Hirudines* ano admotas, natura fluxum hæmorrhoidum moliente, ægro COLLINI *c*) profuiſſe obſervatum eſt. At ſingulare eſt magis eas hypochondriis in tetano cum fructu applicari. CON-
Hiſt. 185. NELL *d*) meminit viri 27 annorum, qui ulcere cruris afflictus, & ob vitæ genus ſemper pedibus inſiſtere coactus, ſubito tactus eſt Tetano, cum motu convulſivo maxillæ, deglutitione difficili, nephriticis doloribus, alvi urinæque ſuppreſſione. Cum omnia remedia ad ſolvendum tetanum parum efficerent, tandem ſanguiſugis ad hypochondria admotis, balneis con-

a) Vid. §. 23. d.)
b) Rat. Med. l. c. na 8.
c) Vid. §. 115. Hiſt. 162.
d) ROUX l. c. T. 20. p. 335.

continuis, & eccoproticis æger intra 27 dies convaluit.

d.) *Arteriotome* arteriæ temporalis, ubi tetanus ab oppreſſo encephalo ortum ducit, omnibus aliis longe anteit; quam in rem ſequentem caſum S. G. VOGEL *a*) notavit: juvenis equo excuſſus capite vehementer humi alliſo ſenſibus orbatus, poſt aliquot dies ſibi redditus, grave caput per 10 & amplius dies expertus, levi poſtea de cauſſa nugaci delirio prehenſus, adhibitis remediis poſt 6 hebdomadas utcunque, at non prorſus, reſipuit. Lapſis vero 4 hebdomadis factus melancholicus, per 15. dies triſtis futura metuit, tum caro 15 hebdomadum cum aphonia obnoxius, tandem validiſſimo opiſthotono per vices convellebatur. Poſt omnia toto hoc tempore incaſſum tentata, inter quæ & Væ Ses, demum educto ex arteria temporali inciſa ad ℥xviij. ſanguine, æger jam dudum immobilis, aphonus, ac inſenſilis, ſub medio fluxu oculis apertis loqui cœpit, ac in dies jam in melius proficiebat, cum neſcio quo triſti fato percepto in priſtina omnia relabitur. Rurſus & Væ Se ad animi deliquium, & ceteris omni- *Hiſt. 116.*

a) Vid. CHR. IAC. VOGEL Diſp. inaug. Med. de febr. interm. metaſtaſib. 4. Goetting. 1775. In Append. pag. 2. ſeqq.

omnibus fruſtra tentatis, demum eadem arteriotome inſtituta eundem, ut prius, eventum habuit, ægrumque priſtinæ reddidit valetudini, quam acceleravit largus hæmorrhoidum per aliquot dies fluxus uſum acidularum Schwalbacenſium conſecutus.

CAPUT II.

ENEMATA.

§. 133.

Enematum uſum indicant

1.) *Alvus clauſa*, in omni tetano ſymptoma commune *a*), quo in caſu talia enemata in uſum ducenda ſunt, quæ fecem diu retentam emolliunt, funduntque, ſpaſmos illius expulſionem impedientes minuunt, motumque excitant periſtalticum, i.e. emollientia, antiſpaſmodica, ac leniter cathartica. Atque hæc felicius nonnunquam ipſis catharticis ore aſſumtis, certiuſque alvum moviſſe ſunt obſervata *b*). Exactiſſime in has indicationes clyſma ARETAEUS *c*) concinnavit:

a) Vid. §. 32. b.)

b) Vid. §. 124. H. 178.

c) l. c.

navit: „ ſin autem flatum (ait ille), „ ſtercuſque educendi tempus adſit, purgatorii, quod Hieram, id eſt ſacram, „ vocant, drachmas duas cum mulſa & oleo in ſedem ejicito: nam præterquam quod illa evocat, inteſtinum „ etiam & inferiorem ventrem calefacit, „ ac fovet; varium namque & calidum „ medicamentum Hiera eſt „. Iisdem „ uſibus inſerviet clyſma CHALMERI *a*) e decocto fl. Chamom. Malvæ, &c. cum „ multo oleo.

2.) *Meteoriſmus* ventris. Quemadmodum enim fex, ita & aer vi ſpaſmi intra inteſtina ſæpe incarceratur, morbumque exaſperat; qua de re MACAULEY *b*) ægra præprimis eſt queſta, flatus ſe emittere haud poſſe, queis alias elapſis ſemper levaretur. Eadem hic enemata, quæ n. I. dicta, locum habent; ſpaſmo enim lenito, ac ſtimulo periſtaltico addito, & fex & aer educentur.

3.) *Deglutitio impedita.* In iſthoc tetanis adeo frequenti caſu omnem profecto curationis paginam enemata abſolvere debent, ita ut, quidquid ſeu medicamentorum ſeu alimentorum ore exhibere ſumendum oportuiſſet, in præſenti

 ope

a) l. c. pag. 100. *b*) Vid. §. 124. Hiſt. 171.

ope clyſterum corpori ægro infundatur, id eſt, enemata eſſe neceſſum eſt non medicamentoſa modo, ſed nutrientia etiam. Hinc laxantia, nervina, opiata, & quidquid indicatur, in clyſmata pro re nata conferre oportet: præfertim vero cortex Peruv. ac Opium feliciter hac via corpo-
Hiſt. 187. ri immittuntur. Apud PLENCK *a*) homini globus tormenti pedem lævum comminuit adeo, ut poſtero die ultra genu fuerit ferro demendus. Sequente poſt amputationem die femur mutilum convulſione ſæpius tentabatur, ſed cortice exhibito quievit. Sub veſperam diei 4ta in lumbis tenſio, ac poſtero mane cervix & maxilla aliquatenus rigebant: idcirco ægro a quatriduo jam remediis nullis uſo datum omni trihorio Opii gr. j. Sed nec ab hoc, nec ab emulſione camphorata, quæ difficulter deglutiebatur, ſpaſmus remiſit: in ſuperficie vulneris copioſum quotidie pus pravum viſebatur: quam ob rem quotidie ter in clyſmate cortex Peruv. adhibitus; unde maxilla mobilior facta. Addebatur inde ad 11um uſque ſpaſmi diem enematis e cort. Peruv. Opii gr. j. ac demum cortex ore ſumendus datus ad 20 uſque ab amputatione diem, atque ſic tetanus eſt in-

a) l. c. pag. 164.

in integrum ſuperatus. Nihilominus tamen æger poſt bimeſtre, vulnere nondum ſanato, in noſocomio, ubi id temporis dyſenteria epimedica graſſabatur, e diarrhæa colliquativa interiit. Hac in obſervatione liquido patet, ſpaſmum maxillæ ab uſu corticis, priuſquam opium adjiceretur, remiſiſſe, quod prius ab opio, eadem licet, qua in enematibus, doſi exhibito, non eſt obtentum, ut proinde fruſtra ſit, qui dubitet, opione an cortici ſalutaris ille effectus ſit adſcribendus. Idem hic Auctor vidit alias etiam *a*) in triſmo a læſo pollicis pedis articulo, tum & in ſpaſmo amputationem conſecuto, clyſma e cort. Peruv. abſque ullo addito opio, fuiſſe ſalutare. Nemo tamen eo hæc accipienda putet, quaſi opii minor eſſet in enematis, quam ore hauſti, energia; imo majorem etiam interdum eſſe obſervavit COTTUNNIUS *b*), & HAENIUS *c*) perinde eſt „ expertus pluries in „ ſpaſmo deglutitionem integro die pla„ ne impediente enematis unciis. 5. 6. „ lactis, Laudani gr. 3. 4. parati miran„ dos effectus „. Sed num unquam

 cly-

a) Ibid. 1. Th. 6. Bemerk. p. 195. ſq.

b) Commentar. de Iſchiade nervoſa §. 42. 44.

c) l. c. P. 6. C. 4. §. 9.

clyſma e fumo tabaci hic locum habet *a*) ?

CAPUT III.

FRICTIONES, LITUS.

§. 134.

Frictiones lituſque tertium ſunt inter externa adverſus tetanum præſidium, incredibilis, ut mox videbimus, efficaciæ. Petuntur vero duplici e claſſe, emollientium videlicet, ac nervinorum, ita ut priora vel ſola per ſe, vel cum poſterioribus remixta in uſum vocentur: quem in finem ab omni ævo adhibebantur

§. 135.

I^mo^ OLEA *blanda*, *pinguedines* animales, &c. idque aut per ſe, aut additis nervinis. HIPPOCRATES *b*) juſſit rigidas partes copioſo oleo calido crebro ungi: alias *c*) nervina addi voluit „ fo-„ menta (ajens) admovere oportet, & „ pingui inunctum eminus ad ignem ca-„ lefa-

a) Vid. Miſc. Nat. Cur. Cent. 7. Obſ. 27.

b) De morbis L. 3.

c) De intern. affectionib.

„ leſacere, & tepefactoria inuncto cor-
„ pore adhibere. Et abſinthium, & lauri
„ folia, aut hyoſciami ſemen tritum, &
„ thus, deinde vino albo macerata in ol-
„ lam novam infundito, deinde olei,
„ quantum vini, affundito; quibus cale-
„ factis, multum calidis corpus & caput
„ ungito „ &c. Ita BENIVENIUS *a*) ægri ſui raſum prius caput oleo hircino & caprino madefieri juſſit. Perinde FORESTUS *b*) rigidum tetanicæ collum oleis irino & chamæmelino perungi, ac lana ſuccida iiſdem imbuta oleis contegi præcepit. Egregio cum fructu hæc nonnunquam peraguntur, THONERUS *c*) mercatorem opiſthotono laborantem unico perſanavit unguento: ℞. Ung. Aregon. Marti. Agrip. aa ℥ij. Ol. Chamom. Anet. Lil. alb. aa ℥j. Lumbr. terr. Vulp. aa ℥jſs. Ping. Taxi, Hum. Vulp. aa ℥ſs. M. calide ung. Ita Piſtor 64. annor. tetano prehenſus, diu noctuque ob collum utramque in partem cum dolore tenſum, erectus ac leniter acclinatus ſedere coactus, intra 4 dies opera RULANDI *d*) convaluit, poſtquam poſt uſum cathartici e Syr. Senn. ℥iij.

Hiſt. 118.

Hiſt. 119.

 Ster-

a) De Abditis. Cap. 103.
b) l. c. Obſ. 111.
c) Obſ. Med. L. 2. Cap. de Convulſ. Obſ. 3. p. 96.
d) Curat. Empyric. Cent. 3. cur. 85.

Sternutatoria mane adhibita, tum vulgare balneum ſudatorium, dein veſperi a balneo frictiones colli calidis primum linteis, tum oleo ſeminum lini, fuiſſent inſtitutæ. Simili fere opera feminam quoque quinquagenariam a tetano liberavit *a*).

Hiſt. 190. Perinde a 25 menſium tetanico lumborum ſpaſmo, ad omnia rebelli, ſolo litu balſami vitæ Auguſtani ſæpius quotidie lumbis adhibito matronam quamdam fuiſſe liberatam narrat CHR. de HELWICH *b*). In id genus porro uſus diverſiſſima olea a variis fuere commendata, quorum farrago apud FORESTUM *c*), ac HAENIUM *d*) videri poteſt. His ſimilibuſque Veteres caput ac rigidos muſculos delibuere. SANCTORIUS *e*) quidem imperite illos agere pronunciavit, qui in tetano maxillæ hanc & non multo potius occipitium, ubi mali ſedem eſſe crederet, oleis imbuerent; ſed & maxillæ topica feliciter tum fuiſſe plus ſemel a Parente ſuo applicata teſtatur I. L. HANNEMANNUS *f*).

§ 136.

---

a) Ibid. Cent. 8. cur. 88.
b) Act. Nat. Cur. Vol. 2. Obſ. 58. p. 131.
c) l. c. Obſ. 112.
d) l. c. P. 10. C. 4. §. 6. n. 4.
e) Meth. vitand. error. L. 2. C. 14.
f) Miſc. Nat. Cur. Dec. 2. Ann. 5. Obſ. 49. Schol.

§. 136.

2do MERCURIALE *unguentum*. Quis unquam Mercurii in nervos ſpaſmis afflictos energiam vel ſuſpicatus fuiſſet, niſi caſus, qui optima quæque detegere conſuevit, miſeris mortalibus rem adeo ſalutarem aperuiſſet? Huic autem invento occaſionem (niſi me animus fallit) præbuiſſe videtur Chirurgi Galli OZ. AIMAR obſervatio RIVERIO *a*) olim communicata: viro militari, de BULLON dicto, *Hiſt.* 191. tormenti bellici ictus brachium dextrum abſtulit, relicta tantum parte humero contigua, 4. digitos tranſverſos longa. Percurato vulneri ſucceſſit convulſio caput in dextrum retrahens latus cum crebra mandibulæ agitatione, lintea, quæ conſtanter inter dentes geſtanda erant, identidem dentibus conterente. Medici Chirurgique conſulti ad unum omnes cenſuere, malum eminentiæ alicui in extremo oſſis vulnere abrupti reſiduæ, nervos irritanti, deberi: proindeque extremum oſſis denuo eſſe reſcindendum & exæquandum. Facta operatio. Convulſio manſit. Conſultus tandem AIMAR, ubi ex ægro cognovit, ipſum ante vulnus gravi per aliquod

---

a) Obſerv. communicata 10.

quod tempus gonorrhæa, etſi rite prorſusque curata, laboraſſe, continuo mali cauſſam in ſuperſtitem labem ſiphyliticam (quæ profecto aderat nulla) rejiciens, frictiones mercuriales tam felici, quam ignavo, errore inſtituit: unde ptyaliſmus ortus die 3tio convulſionem ſuſtulit. Hic forte caſus (quamvis, ut fere Anglorum eſt mos, nulla ejus fiat mentio) cum inter ſyphiliticos morbos prudenter referri neutiquam poſſet, Anglum quemdam Medicum, ſeu qui in Iamaica inſula medicinam fecit, ſeu alius fuerit, ad ulteriora tentamina impulit facienda. Ille certe, qui diu Iamaicam incoluit, DONALDO MONRO *a*) narraverat, multos ſibi Tetanos ibidem obveniſſe curandos, quos Væ Se, vacuantibus, fomentis, balneis, unctionibus, multoque opio tranctans, uſque adeo fruſtra fuerit, ut ne unum quidem ægrum ſervare poſſet, ac morbum proinde abſolute lethalem eſſe ad ultimum cenſeret, quidquid alii de curatis ab ſe quandoque Tetanis gloriarentur. Poſtquam vero ex inſperato de felici unguenti mercurialis ſimilibus in caſibus effectu certior fuiſſet redditus, periculum ſe re-

me-

a) Neue Verſuch. u. Bemerk. der Aerzt. von Edinb. 3. Band. n. 30.

medii proximo in ægro feciſſe, vidiſſeque eodem tempore, quo ☿ in os agere occepit, ſpaſmum omnium muſculorum ſolutum, ſanatumque ægrum. Tetanos 12 ita curavit: pauci alii, nec niſi illi, quos prius vis morbi confecit, quam Mercurius in os agere potuerit, ſunt mortui. Methodus illi erat hæc: ægros calido illatos hypocauſto tot ſtragulis, quot ferendis pares erant, involvit, ac ſine ulla prævia præparatione toties tantumque unguenti ex axungiæ & Mercurii partibus æquis confecti intrivit, quantum ſecure licuit, idque pro ratione morbi plus minuſve provecti. Quandoque ad conciliandum ſomnum, ſeu ante ſeu poſt ortum ptyaliſmum, magnam opii doſin exhibuit. In Angliam redux eadem hac methodo tetanicum pari cum ſucceſſu curavit. Ac licet omnium ab ſe curatorum Tetanorum nullum a vulnere fuiſſe ortum fateretur; tamen & in hoc quoque caſu ejusdem ſe efficaciæ Mercurius exhibuit poſtea, ubi ab aliis experimenta hanc in rem fuere capta. Quippe A. MONRO *a*) haud ita multo poſt ſequentem caſum typis vulgavit: vir 22. annor. 1ma Januar. 1769 crus fregit cum vulnere partium fracturam ambi- *Hiſt. 192.*

a) Ibidem n. 31.

ambientium. Chirurgi dexterrimi opera intra ſ.x hebdomadas cum vulnus coivit, tum fractura coaluit, ita ut æger grallarum ſubſidio ambulandi fecerit periculum. Februarii 27ma tremor totum corpus invaſit cum crebris oſcitationibus, pulſuque celeri ac pleno, ſed interrupto. Martii 1ma maxillæ obriguere, paucisque poſt horis tam arcte ad ſe mutuo appreſſæ ſunt, ut primores earum dentes nec ad $\frac{1}{8}$ pollicis ab ſe dimoveri poſſent, labiis ſimul firmiter ad dentes appreſſis. Dolorem una vehementem faucium, dorſi, ac ad imum pectoris æger querebatur, ſudabatque multum abſque levamine. Martii 2da caput magna vi retrovulſum eſt, omneſque toto corpore muſculi obriguere. Femora & brachia eadem ratione, at minore in gradu, affecta erant. Præter communem muſculorum rigorem frequentibus quoque eorundem ac dolentiſſimis convulſionibus tentabatur. Atque hæc ſymptomata uſque ad 11^{am} Martii increvere potius, quam remiſere. Æger tamen toto illo tempore nec ſenſu caruit, nec appetitu omni. Sanguis bis detractus, aliquot cathartica data, veſicantia admota, enemata pro re nata infuſa, pediluvia uſurpata, demum fotus anodyni plantis pedum applicati. Interna remedia fuere Moſchi

gr. x.

gr. x. Opii gr. ij. iij. bis terve principio per diem, aliquot vero poſt diebus omni 4ta hora exhibita. Martii 11ma a me & D. CULLEN petitum conſilium. Cauſſa horum ſymptomatum incerta viſa; nam etſi credibile erat, illa aut potiſſimum aut omnino ex punctura, tenſione, vel irritatione cujusdam nervi a feſtuca, vel callo, vel acri collecta circum fracturam materia provenire, præſertim cum æger neglecta quiete præmature artuum inferiorum uſum fecerit, inque fracturæ loco parva inflexio cerneretur, illoque ex latere ſpaſmus eſſet vehementiſſimus: tamen æger nec de peculiari ea in parte dolore querebatur, nec etiam ſeu tunc ſeu poſtea aut rubor, aut tumor, aut materiæ collectio ſe oſtendit. Suſpicio quoque erat, ægrum, quod menſe ante fracturam duxerit, præmaturo veneris uſu hos ſibi ſpaſmos acciviſſe. Reſpondimus: in iisdem remediis, ut ante, poſt denuo detractum ſanguinem, eſſe pergendum, auctoreſque fuimus, ut & moſchi & opii, hujus præſertim, doſes ſenſim in tantum augeantur, quantum cum ſecuritate fieri poſſet. Commendata porro calida totius corporis balnea, hirudinum femori fracto applicatio, ac ſedulus fomentationum uſus. Quod ſi ab his ſymptomata non remitterent, ſuadebatur

locus

locus fracturæ aperiendus, ut ſanguis inde revulſus, ac ſecuta poſtea ſuppuratio, affectorum nervorum ſenſilitatem obtunderet. Apertura recuſata cum cetera per 9. dies æger fruſtra fuiſſet expertus: abſente D. CULLEN, ſuaſi frictiones Mercuriales ea methodo, quæ a germano meo deſcripta *a*) eſt, cum ulteriore ſimul opii uſu. Quapropter prima mox nocte ☿^{ii} axungia ſubacti ʒij intritæ ſunt, tantundem die poſtero, nec minus nocte altera, ac mane diei $3^{\text{tiæ}}$, & ſic porro, uſque dum ☿^{ii} ʒxx. intritæ eſſent. Unctio potiſſimum, ubi cauſſa eſſe credebatur, in pedibus inſtituta. Toto hoc tempore nullus eſt ptyaliſmus obſervatus, os parumper exulceratum, ægerque paulo plus, quam ſanus, ſputavit. Actio tamen per urinas & ſudores aderat: nihilque per lotium ſeceſſit. Præter jam dictam ☿^{ii} quantitatem, ad binas adhuc vices ☿^{ii} ℥ß eſt infricta, biduoque poſt rurſus tantundem ab ſumtum. Altero a cæpta unctione die obſervatum eſt notabile omnium ſymptomatum decrementum, omnes ſpaſtici motus, convulſiones, dolorumque cruciatus gradatim deſiere, ac die 6to vel 7mo a cœpto ☿^{ii} uſu æger totius corporis rigore pene ex integro liberatus, cœpit ſenſim maxillas ſemper magis diducere, omneſque

artus

a) Ibidem n. 30.

artus, licet a prægreſſis vehementibus continuoque infeſtantibus convulſionibus ſumme debiles, movere. Appetitu quoque ſenſim recuperato lectum citius deſeruit, quam propter prægreſſum ☿ii uſum conſultum videbatur. Sumtis tandem ad ☿ium exigendum variis ptiſanis catharticis priſtina poſtea, conſtantique valetudine eſt gaviſus. MONROUM deinceps eadem cum felicitate DELAROCHE *a*) ſecutus eſt: namque juvenis 22 annor. cum ob vehementem cephalalgiam Væ Sem celebraſſet, e veſtigio primum triſmo, tum univerſali tetano ſenſim eſt correptus, cui acceſſere convulſivi 2. 3ve horarum inſultus. Corpus artuſque nonniſi multo conatu flecti potuere: ex ore continenter ſpumoſa ſaliva ſcaturiebat, ſub ſudore fere perpetuo: os haud amplius diduci potuit, quam ad tubulum cantharuli admittendum ſatis erat. Deglutitio fuit ſumme operoſa, & vultus magnæ anxietatis internæ indicia præſeferebat. Vacuationes omnis generis factæ nil profuere, nec balnea bis in dies uſurpata, nec opium quovis bihorio ad gr. j. datum, niſi quod levem ſtuporem cum ſomnolentia induxerit. Quapropter præmiſſa ob ruborem vultus, pulſumque celerem, Væ Se ad frictiones mercuriales

Hiſt. 193.

Trnka de Tetano. C c itum

a) ROUX l. c. T. 40. p. 213. ſqq.

itum, cum quotidiano ſimul balnei uſu, quo Mercurii efficacia adjuvaretur. Infricta quotidie unguenti ex æquis Mercurii & axungiæ partibus confecti ℥j. optimo cum ſucceſſu: lapſo enim biduo æger melius habere cœpit, maxilla abduci, ægerque pedetentim ambulare, potuit, & poſt 14 dies ab omni ſpaſmo liber erat; ſuperſtite nihilominus ingenti debilitate, ad quam cum reliquiis morbi delendam datus cortex Peruvianus. Verum cum æger etiamnum rigoris aliquid in membris, ſpaſmosque ſentiret, in locum corticis aliquot adhuc frictiones ſunt inſtitutæ, poſt quas omnia prorſus ſymptomata, citra ullum unquam toto frictionum tempore ſubſecutum ptyaliſmum, evanuere, ægerque conſtanti poſtea valetudine gaviſus eſt. In longe graviore poſtea caſu *a*) Tetani pari cum eventu iterum frictiones Mercuriales ab eodem Cl. Viro ſunt in uſum vocatæ. Neque ſecius poſtea rem expertus eſt gentilis ejuſdem
Hiſt. 194. Cl. DUBOUEIX *b*): accerſebatur ad duodeviginti annorum adoleſcentem, qui vehementi interdum renum dolore vexatus, ut ſe difficulter antrorſum curvare poſſet, tandem in tetanum incidit. Membra omnia

a) Ibidem T. 45 p. 45. ſqq. vid. §. 128. Hiſt. 179.

b) Ibidem T. 42. p. 215. ſqq.

omnia cum trunco tenſa uſque adeo obriguere, ut rumpi facilius, quam flecti, poſſent. Spiratio erat ſublimis ac laborioſa, ſudorque aderat, cum tetano maxillæ, capiteque parum ſiniſtrorſum verſo. Verbo, omnes muſculi antagoniſtæ adeo fuere contracti, ut vel minimus motus ægro eſſet impoſſibilis, excepto ſiniſtro brachio, cui mobilitas aliqua ſuperfuit; loqui etiam, etſi non ſine magna difficultate, potuit. Pediluvia calida bis quotidie imperata, eccoprotica interdum exhibita, principio acuata 🜿ro ſtibiato, potulenta relaxantia, ſerum lactis, linimenta oleoſa ad abdomen lumboſque, & quæcunque relaxationi procurandæ idonea eſſe videbantur. Verum cum lapſis aliquot diebus morbus nihil fuiſſet mutatus, præmiſſa V^a S^e, frictiones Mercuriales ad 15 aut 16 factæ, quotidie una cum unguenti, ex æquis Mercurii & axungiæ partibus conflati, ʒj. ſimulque bis de die balnea calida adminiſtrata. Aliquot poſt diebus inſigne inde levamen obſervatum eſt, æger poſt ſingula balnea adeo ſudore madebat, ut plura in lecto induſia humectarit, membris flexilitas nativa ſenſim rediit, ac tandem circumacto circ. menſe æger priſtinam ſanitatem recuperavit. Notatu dignum eſt, a non interruptis fere

frictionibus ne leviſſimum quidem ptyaliſmi indicium apparuiſſe: quod forte eccoproticis, emollientibuſque enematis identidem injectis, ac præſertim largiſſimæ, nullo morbi tempore deſideratæ, tranſpirationi tribuendum eſt. Huc denique & illa MANGETI obſervatio eſt referenda, quam alio jam loco *a*) dedimus, eundem cum modo enarratis eventum ſortita. Notandum eſt autem, haud eſſe ptyaliſmum ad felicem curationis exitum neceſſarium; quippe quem ægri MONROI, DELAROCHII, DUBOUEIXII, nullatenus perpeſſi nihilominus convaluere.

§. 137.

Sed dicet quis, methodum hanc medendi Tetano eſſe prorſus infidam; ſiquidem caſus exſtent maxillæ tetanorum a mercuriali ſalivatione natorum, qualis ille fuit, quem alibi jam ex ADOLPHO *b*) dedimus; duos alios obſervationes Clinicæ Noſocomii Varſavienſis *c*) ſuppeditant; quartum HAZON *d*) vidit; quintus, iſque maxime memorabilis, a BINNINGE-

RO

a) Vid. §. 19. Hiſt. 17.

b) Vid. §. 5. B. n. 1. Hiſtor. 10.

c) Obſ. Clinic. ad ductum Med. in Noſoc. Varſav. Faſcic. 2. p. 53. ſqq.

d) Vid. §. 148. Hiſt. 209.

RO *a*) eſt obſervatus, videlicet M. PONNIER calculo renum, podagra, & atrabile cum melancholia diu miſere conflictatus, invito Medico, Chirurgi ſanitatem, ſua ſi opera uti volet, brevi poſt tempore audacter pollicentis arbitrio ſe commiſit. Iſte frictiones Mercuriales inſtituit. Sequitur diarrhæa bilioſa primum, tum levis ptyaliſmus, cum genarum palatique tumore, dolore, ſtrangulationis metu. Invaleſcentibus his poſtea febris accedit; dein dyſpnœa, & loquendi impotentia, palati ulceratio, raucedo; demum tantus maxillæ ſpaſmus, ut os non niſi cuneo admoto diduci parum quiret, mox iterum coiturum. Interea ſaliva larga, viſcida, cadaver olens, perpetua ſcaturivit; dentes nudati vacillabant, nigerrimi, quandoque decidui. His alia ab renum calculo acceſſere ſymptomata, præſertim urinæ difficultas, ſubdeliria, ſopor, convulſiones, ac tandem finis omnium mors. Quæ cum ita ſint, quis vadem ſe dabit, a frictione mercuriali Tetanum curatum potius quam auctum iri præſentem, quandoquidem illum non præſentem etiam ſola per ſe induxiſſe viſa eſt? Verum cui- *Hiſt.* 195.

a) Obſ. & Cur. Med. Cent. 3. Obſ. 98. 99. & Cent. 5. Obſ. 76.

cui hæc in mentem venerint, meminiſſe illum velim, ADOLPHI caſum evidenter ſalivationi prægreſſæ imputari neutiquam poſſe; eſt enim ſuſpicatus tantum Cl. Vir, morbum e mercurialibus remediis non rite adminiſtratis eveniſſe; ac tametſi etiam inde accidiſſet, videbimus, eum non alia ratione, quam ceteris illis in caſibus objectis, fuiſſe veroſimiliter inductum. Nam in HAZONI ægra ab ulceribus oris, e neglectim tractato ptyaliſmo obortis, maxillæ ſpaſmus ortus eſt, queis perſanatis iſte quoque deſiit, ut proinde directe Mercurio imputari nequeat. Varſavienſium autem ægrorum unus non vero, ſed ſpurio, tetano erat affectus, in quo impoſſibilis oris apertura ob malam internam cum inferiore dimidia parte gingivæ ad $\frac{1}{2}$ pollicem e male ſanato ibidem poſt ptyaliſmum ulcere concretam ſecuta eſt; reſciſſa enim concretione os continuo apertum eſt, quod evenire, ſi tetanus fuiſſet verus, non poterat. Alterius autem ægri quoniam os ne exploratum quidem fuit, veri eſt ſimile, impeditam oris diductionem aut ſpurium perinde ab ejuſmodi concretione fuiſſe tetanum, aut, ſi verus is fuit, a tetano HAZONI ægræ non diverſum. Quid porro vetat, quo minus tetanum maxillæ, quo BIN-

NIN-

NINGERI æger correptus eſt, non ab ſimillimis internis oris, genarum, palati, &c. ulceribus repetere liceat, a qualibus in HAZONI matrona ortum duxit? Hæc enim & adfuiſſe auctor narrat, & tanto etiam pejoris fuiſſe indolis neceſſe eſt, quod in corpore atra bile, calculo, podagraque infami fuerint generata. Hæ igitur difficultates remotæ jam ſunt: ſed quî ſub uſu Mercurii, ſi is ſpecificus eſt, in ſyphilitico HAENII *a*) juvene tetanus non eſt præpeditus? Ad tollendum tetanum, quemadmodum opii, ita Mercurii quoque doſis ingens requiritur, quippe quam ipſa ſpaſmi magnitudo exigit, & experientia allata idem docet. Quid mirum igitur, tetanum ab exigua doſi, qua ☿ ſublim. corroſ. datur, non fuiſſe præpeditum?

a) Vid. §. 59. Hiſtor. 120.

CAPUT IV.

BALNEA.

§. 138.

Balnea in curatione hujus morbi duplici ſcopo uſurpari ſolent, videlicet tum ut partibus convulſione rigentibus laxitas inducatur, tum ut ſudores eliciantur. Priorem in finem non alia, quam calida, uſui eſſe poſſe, haud difficulter apparet; ſed ad eliciendos ſudores cum non calida modo, verum frigida quoque ſint quam aptiſſima, etiam hæc ſæpenumero egregie profuiſſe videbimus: quæ, ut ordinate fiant, partitim nunc perſequemur.

§. 139.

A. CALIDA *balnea* vel aquoſa eſſe poſſunt, vel oleoſa. Etenim

1mo *Aquoſa* laxant, reſorpta acre diluunt, diaphoreſin promovent, ſicque ſpaſmos minuunt. Mirum ſane eſt, Veteres de hoc adverſus tetanum præſidii genere tam efficaci paucis admodum verbis egiſſe. HIPPOCRATES *a*) ſolorum pedilu-

a) De rat. vict. in morb. acut.

diluviorum mentionem injicit; ARETAEUS vero balneorum ne verbo quidem meminit: AURELIANUS *a*) autem primum in declinatione morbi eorum imperat uſum: „ cum ex parte (inquiens) paſ„ ſionem mitigatam ſenſerimus, emba„ ſim olei, vel aquæ & olei adhibe„ mus „. Quæ verba non de remiſſione, ſed declinatione, accipienda eſſe vel inde patet, quod eodem ſimul tempore, quo balnea ſuadet, valentiores cibos ægris concedat, qui aliqualem requirunt maſticationem. Contra vero in ſtatu morbi balnea commendat CELSUS *b*), jubens ægrum „ nonnunquam . . . in calidum „ oleum totum deſcendere, vel in aquam „ calidam, in qua fænumgræcum decoctum „ ſit, & adjecta olei pars tertia „. Et reapſe tanta eſt balneorum calidorum hoc in morbo virtus, ut haud immerito CHALMERUS *c*) ab illis atque opio unice morbi curationem exſpectarit. Obſervavit enim, raro ante balnei uſum deglutiri quidquam ab ægris poſſe; emendari vero mox a balneo deglutitionem, atque ita remediis, ac præſertim opio exhibendo, per præmiſſa balnea viam expediri.

a) l. c.
b) l. c.
c) l. c. pag. 95. ſqq.

Adminiſtrationem vero eorumdem optime ſimul idem hic Auctor edocet, jubet nimirum primo omnium ſanguinem detrahi, tum gradum caloris aquæ explorari, debitumque conciliari, ita ut calida tempeſtate, ac celeriter micante ægri pulſu cum præternaturali cutis calore, calor aquæ haud excedat 96 vel 98. gradus FAHREN. thermometri. Quod ſi vero tempore frigido pulſus ægri tardus, cutiſque calor fuerit minor, calorem aquæ ad gradum 100 vel 102 augeri tuto poſſe ait. His præmiſſis æger ſecundum totam corporis longitudinem in ſolio jaceat, totus ſub aquis facie tenus, cum ſubjecto capiti in vicem pulvinaris convoluto lecti linteo: calor aquæ in ſolio per affuſionem calidioris iteratam conſervetur: interea, quamdiu in ſolio eſt æger, partes affectæ leniter erunt perfricandæ, præcipue collum, pectus, & univerſa ſpina dorſi deorſum, quouſque attingi poteſt; neque prius e balneo eſt eximendus, quam pulſus mollis ac plenus evaſerit. Ubi vero jam eximendus eſt, non abſterſus, illico linteo ſicco obvolutus in lectum reponatur, ubi multus plerumque ſudor oboritur, qui tamen, ſi nimius videretur, imprimis pulſu exiſtente admodum celeri & contracto, cum vehementi cutis calore, tunc inſti-

inſtituta pannis calidis frictione eſt ſiſtendus. Uſus hujuſmodi balnei indies ad 5 aut 6 vices iterari poteſt.

§. 140.

Horum jam balneorum utilitas ut evidentius cognoſcatur, exemplis opus eſt. Apud CELLIER *a*) infans 10 dierum a nycthemero non niſi pauxillum lactis, ori ægre immiſſum, deglutiens, & a biduo jam ſugere non valens, ſimul intra hoc tempus adeo toto corpore obriguit, ut nulla prorſus ſui parte eſſet mobilis, ſed completo tetano recto tam vehementi affectus erat, ut unum continuum ſolidum eſſe videretur, cujus pars quælibet frangi facilius, quam flecti, potuit: facies erat velut moribundi pallida, ac laborioſiſſima ſpiratio. Cum autem ætas ægri, parentum inopia, deglutitio difficillima remedia conſueta excluderent, ſolis balneis e tepido decocto emolliente mane ac veſperi ægrum collo tenus immitti Cl. Vir imperavit, primum per horam, tum in dies diutius ſenſim ibidem detinendum, donec ad bihorium perventum eſt: juſſa eſt ſimul mater tantum lactis, quan- *Hiſt.* 196.

tum

a) ROUX l. c. T. 28. p. 24. ſqq.

tum poſſet, deglutiendum dare. Hacque methodo infans intra 3 hebdomadas penitus convaluit. DE SAINT - HERAN
Hiſt. 197. D' AMBON *a*) mulieris quadragenariæ curam habuit, quæ in frigida tridui pluvia ſarmenta vinciens, lævi femoris contraxit dolorem:, qui lapſis 14 diebus in femur dextrum, inde in dorſi vertebras tranſiit,& ex his ad lumbares defluxit. Interdum affecta in parte tumor indolens, vel cum levi tantum dolore, vel quandoque cum punctorio, etiam aderat; ſubinde vero dolor abſque tumore. Ægræ animus ab remediis abhorrens, tum res familiaris anguſta, ejuſque aſſidua procuratio ipſam a quærendis malo ſuo auxiliis abſtraxere. Interea dum vis morbi muſculos dorſi lumborumve invaſit, haud ullum præſentius levamen illi reperit, quam in omnimoda ſpinæ dorſi ad pariетem appreſſione: quo in ſitu ſingulare ſe ſolatium percepiſſe retulit, quale in nullo alio, imo ne tum quidem, dum ſe jacens exporrexiſſet, experta eſt. Accitus tandem A. 1755. die 10 April. prima vice ad ægram, ipſam in horrendo reperit ſtatu: omnes artuum tum ſuperiorum, tum inferiorum muſculi convulſione tene-
ban-

a) Ibidem T. 12. p. 241. apud VANDERM.

bantur, manus in pugnum contractæ, carpi verſus antibrachia reflexi, & hæc ipſa cum brachiis ad angulos flexa, iſta vero corpori firmiter appreſſa erant. Oſſa tarſi verſus plantas trahebantur, pedes vi muſculorum gemellorum ac ſolearium extendebantur, quorum in tendinibus ægra vehementem dolorem eſt queſta. Crura & femora fuere inflexa. Muſculi abdominis, colli, capitis placide quievere. Regio abdominalis ſedes centrumque doloris, quo omnes partes ſeſe contrahendo tendebant, eſſe videbatur. Caput non niſi leviſſimus, nec obſervandus dolor inſedit. Dum digito muſculi bicipitis tendinem, muſculumque Deltoidem, in queis nullus tumor viſebatur, premeret, ægra magnum clamorem, velut ad vehementiſſimum dolorem, ſuſtulit. Artus ſpaſmo detenti adeo obriguereut nulla ope vel flecti vel extendi ſe ſe paterentur. Cutis calor paulo naturali major, pulſus plenus duruſque ac febris aderat. Cum nulla ſaburræ in primis viis adeſſent ſigna, & antecedentia docerent morbum a perſpiratione ſuppreſſa eſſe enatum, ſanguinis ℥xvj. detractæ ſunt, bihorioque poſt injectum enema emolliens, & datus potus diaphoreticus, ſimulque ſub noctem paregoricum, & ſtragulis ad eliciendum ſudorem ab ſuis pene eſt obruta.

Sed

Sed ab omnibus his cutis ne humeſcebat quidem. Poſtero die ſanguis ſpiſſus, aquoſa parte deſtitutus apparuit; dolores multum remiſere. Imperata ſevera diæta, uſuſque decocti aperientis & diaphoretici, & potio paregorica. Die 3tio fomenta emollientia applicata. Die 4to Væ 5o repetita. Die 5to 6to 7mo balneo uti juſſa eſt, in hoc per horam morata dolorum expers erat; ſed cernebatur ſudor per faciem decurrens. Primum balneum nil morbum mutavit; at e ſecundo egreſſa lectum jam citra aliorum adminiculum repetiit: ac poſt tertium convaluit penitus. Ob nauſeam aliaque putredinis in primis viis indicia lene catharticum datum curam abſolvit. Poſt balneum per horam ſemper ſudavit adeo, ut & induſium & lecti lintea commaduerint, ſudorque tam erat olidus, ut una vicinarum induſium ægræ porrigens male inde habuerit, maritiſque in lecto noctu ei accubare nequiverit. Fœtor hic pedetentim evanuit, videbaturque ægra perfecte convaluiſſe. At die 26ta April. omnia ſymptomata ſunt reverſa, poſtquam pridie inhorruit. Adhibita prior medela, præterea veſicantia applicata, morbum rurſus, verum ſerius aliquanto, profligarunt. Abhinc vero mulier per omnia bene habuit.

Nota-

Notatu autem digniſſimus eſt caſus Opiſthotoni hyſterici cum nymphomania complicati, atque balnei calidi inſeſſu ſublati, quem hunc in modum narrat I. RHODIUS *a*): „ omnibus Bononiæ fruſtra *Hiſt.* 198.
„ tentatis, A. 1627. a. d. V. Maji PRE-
„ VOTII curæ commiſſa virgo ſacra Ill.
„ VICTORIA FELIX MALUEZZI, quæ
„ ab anno ætatis 5to poſt lentam febri-
„ culam cum obſtructione meſenterii,
„ evaneſcente colore roſeo faciei pallo-
„ rem continue retinuit. Anno 10mo re-
„ cepta in cœnobium a lævi pugno hæ-
„ morrhagiam narium contraxit, quæ
„ annis 4. omnibus auxiliis adverſa circa
„ quartum & decimum ſuborto menſium
„ fluxu receſſit. Sex & decem annos
„ nata, quum ſacro Cœtui nomen eſſet
„ profeſſa, intervallo brevi graviſſimis
„ animi perturbationibus agitata ob Patris
„ ac fratris mortem, horrendumque Ve-
„ ſtalis fatum eodem ſemet die in pute-
„ um præcipitantis, quo in monaſterium
„ admiſſa, menſes ei parce proceſſerunt,
„ ſuppreſſa narium hæmorrhagia, qua ſæ-
„ pius antehac tentata, jamque annum
„ agens alterum & viceſimum ſub horam
„ undecimam crurum laſſitudine correpta
„ cum

a) Obſerv. Medic. Cent. 1. Obſ. 37. p. 26.

„ cum levi anxietate, poſt $\frac{1}{2}$ horam in„ ter lætos ſermones repente corpus uni„ verſum obriguit, ſine ſenſu, contra„ ctis validiſſime digitis manuum ac pe„ dum, illæſa reſpiratione; vultus pars „ nulla movebatur, oculis clauſis, omni„ no ſenſus expers jacebat, idque unius „ horæ ſpatio, nihil mutato faciei colo„ re: quo tempore novies brevibus in„ tervallis correpta ſuffocatione cum con„ vulſione ad poſteriora. Acceſſio velox „ ac brevis, cum gemitu obſcuro, & fa„ ciei rubore, quæ initio ad livorem ten„ debat, ſine ſenſu, in qua circa umbili„ cum perſentiebantur murmura cum quali„ cunque ventris tumore. Tribus con„ vulſionis acceſſionibus ſubito ſe ſe mu„ tuo excipientibus, tanquam e ſomno „ profundo experrectæ univerſa facies ita „ in priſtinum ſtatum rediit, ut audiret, „ videret, loqueretur; mox dorſum ac „ medulla ſpinalis (curvabatur), mani„ bus pedibuſque rigidis ac ſenſu defe„ ctis. Excitata retulit ſe in capite ſtupo„ rem quemdam percipere, ſibique velu„ ti ſtringi tempora. Optime ratiocina„ batur, tametſi memoriam aliquantum „ imminutam opinaretur. Tandem 4. circ. „ horar. ſpatio acceſſio ſic reſolvebatur, „ ut poſt horam brachium ſiniſtrum, de-

„ inde

„ inde poſt alteram crus ſiniſtrum, poſt-
„ ea ab hora crus dextrum, ac demum
„ ejuſdem lateris brachium ad munus re-
„ diret. Hiſque affectibus jam biennium
„ quotidie vexabatur per excandeſcentiam
„ vehementem ortis, cum cæcitate, quæ
„ A. 1625. dies 12, ſequenti ad vige-
„ ſimum perdurans ſponte deſiit. Sub vi-
„ ceſimam tertiam veſpertinam alternis
„ diebus uteri paſſionibus maximo cum
„ furore, ſine omni febre, exercebatur,
„ intermixtis crebris ſuffocationibus, ſpi-
„ na poſteriora verſus retracta, trium ho-
„ rarum & dimidiæ ſpatio: quamvis ini-
„ tio quotidie, jamque a quinquennio
„ diutius torqueretur, cum delirio nunc
„ fero, nunc meticuloſo, intumeſcente
„ ventre a ſtomacho ad umbilicum. Sub
„ finem acceſſionis invadebat ſicca tuſſis
„ cum furore concitatiſſima ad mediam
„ quandoque horam. Omnium tandem
„ immemor belle habuit. Die interjecta,
„ quæ mitior, hora pariter ſupra viceſi-
„ mam tertia catalepſis cum ſuffocatione,
„ ac quibuſdam ad poſteriora convulſioni-
„ bus rediit levi acceſſione, quæ intra
„ horæ $\frac{1}{4}$ ſolvebatur. Paroxyſmi præ-
„ nuncia crurum laſſitudo, ac veluti te-
„ rebratio verticis cum ſenſu frigoris ad
„ verticem. Sub horam noctis ſextam

„ jam 4 annis quotidie duabus ferme ho-
„ ris convulſione ad poſteriora detineba-
„ tur, cum debilitate facultatis cogno-
„ ſcentis, nullo frigore, ut ſe ſe in late-
„ ra verteret, intercurrente nonnunquam
„ præfocationis ſpecie, præcipue dum
„ ſanguis miſſus, quæ deligato vulnuſcu-
„ lo ceſſabat. Menſtrui fluxus tempore
„ exacerbata ſunt omnia; ubi ea moroſi-
„ or & proclivior in iram. Maji ex-
„ tremum præfocatione uteri quandoque
„ in 50 horas producta ingraveſcebat.
„ Hypochondrii ſiniſtri tenſio levis con-
„ tra umbilicum ſatis manifeſta: venter
„ ad decimum diem adſtrictus medica-
„ mentis levioribus neutiquam reſpondit,
„ ut ſæpius una vice extracti colocyn-
„ thidis ℈ ij, vel Diagrydii gr. xv. præ-
„ berentur. Interdum rejecit per ſupe-
„ riora. Excrementa omnia pituitoſa, lo-
„ tium tenue & aquoſum copia redditum.
„ Caput extra acceſſionem nullis afflige-
„ batur malis, nec de gravitate querela.
„ Dolor tamen quandoque circa tempo-
„ ra & qualiſcunque memoriæ imbecillitas
„ obrepſit. Maximorum virorum inge-
„ nia variis modis exercuit tot affectuum
„ congeries, quam omnibus in rem præ-
„ ſentem rite adminiſtratis, atque in pri-
„ mis veſicantibus interiori utrinque fe-

„ mori

„ mori affixis, aſſumtiſque cum ſucco „ cichorei conſpiſſato per vices ſpeciebus „ hieræ ſimplicis, PREVOTIUS tandem „ profligavit Aponenſis aquæ inſeſſu, a „ quo naturalibus effluens HOLLERIO *a*) „ non ignotus humor, albumen ovi ſi„ mulans, naturæ peritis mali fomitem „ palam fecit. Secunda valetudine ad „ ſuos rediit, qua, dum iſthæc eduntur, „ in Cœnobio D. MARIAE Novæ Dei „ providentia etiamnum firma perfrui„ tur „. Atque hi ſunt caſus, in queis balnea aquoſa omnem curationis paginam abſolverunt: queis COLLINI *b*) quoque caſus accenſendus eſt opiſthotoni balneo Badenſi prima vice ſublati: ſunt vero & alii, ubi lentam aliorum remediorum actionem promoverunt egregie, curamque accelerarunt, velut in FARRII *c*), WHITII *d*), MACAULEYque *e*) ægris, nec non puella, cujus caſum narrat

a) De Morb. Intern. L. I. c. 58. in Scholio. Humor hic a Veteribus pro ſemine corrupto habebatur, cujus excretio Nymphomaniæ inſultus plerumque ſolvit. Utinam religioſus admodum Auctor Italus non reticuiſſet, circa quid præſertim ægra furibunda delirarit, cum tam paucæ morbi hujus obſervationes exſtent.

b) Vid. §. 115. Hiſt. 162.

c) Vid. §. 124. Hiſt. 173.

d) Vid. §. 164. Hiſt. 223.

e) Vid. §. 124. Hiſt. 171.

Hiſt. 199. PICQUÉ *a*): hæc ad 12 annos nata, nudis pedibus cruribuſque aliquot dierum frigus humidum perpeſſa, menſe Decembri poſt prægreſſam animi dejectionem, & inſignem omnium motuum corporis difficultatem, tetano univerſali correpta eſt adeo, ut principio artus nullatenus flecti poſſent, poſtea vero etſi id fieri, non tamen ſine labore, poſſet, ut primum vis flectens ablata eſt, pedetentim ad priſtinum ſuum ſtatum redibant. Linguæ labiiſque ſpaſmus pepercit, ſpiratio ac deglutitio facilis erat; oculi fixi; pulſus magnus, plenus, tenſus; dolor ad occiput ac totam ſpinam non mediocris, ſomnus rarus, brevis, leviſque admodum; urinæ rubræ; calor cum interius tum extus non parvus, cum ſiccitate & alteratione haud minore: ſudor nullus, nec intermiſſio uſque ad plenam convaleſcentiam. Facta larga V. S. data ptiſana ex oryza, canaria, cum nitro & ſyr. limon. injecta crebra enemata demulcentia, cataplaſmata emollientia admota: unde pulſus emendatus, ac membra magis flexilia facta, & poſt frictiones lenes, oleoſaſque unctiones inſtitutas, nec non balneorum tepidorum ac emulſionum nitroſarum uſum malum inſigniter minuebatur.

---

a) ROUX l. c. T. 42. p. 114. ſqq.

batur. Interea abſente Medico, facta aeris conſtitutione aſperiore, intermiſſoque balneorum uſu morbus adeo reſumſit vires, ut videretur periculoſior evaſiſſe. At revocato tum remediorum, tum balneorum uſu malum rurſus pedetentim minuebatur, & ægra poſt 50um diem convaluit. Quemadmodum vero magnum in enarratis caſibus balnea aquoſa calida fuere adverſus tetanum præſidium, ita e contrario alias infida ſunt, ac tantum abeſt, ut proſint, ut ſæpe etiam lædant. Sic puellæ apud DELAROCHE *a*) anxietates & convulſiones cauſſarunt: dolores intolerabiles a ſolis pediluviis, quoties in uſum vocata ſunt, in tetano BURELI *b*) productos vidimus. Balnea HOFERI *c*) feminæ triſmum in univerſalem tetanum verterunt. Perinde HILLARY *d*) univerſim inutilia eſſe in America obſervavit; imo vidit nonnullos momento, quo e balneo exemti ſunt, periiſſe. Similem caſum HAENIUS *e*) retulit: „rem (ait ille) ab ipſo Medico teneo, *Hiſt.* 200.
„ qui præſens præſentem vidit hominem,
„ qui tetano univerſo affectus, dum e
„ balneo aquæ calidæ educeretur, bal-

 „ neum

a) Vid. §. 128. H. 179.
b) Vid. §. 51. Hiſt. 75.
c) Vid. §. 49. Hiſt. 57.
d) l. c. p. 277.
e) Rat. Med. P. 10. C. 4. §. 5. ſub finem.

„ neum omnem pepuliſſe morbum excla-
„ maret, ſic quidem, ut integram cura-
„ tionem adſtantibus demonſtraturus, per
„ cubile incedere progredique inciperet;
„ qui tamen vix momento elapſo humi
„ procumberet, ac moreretur „.

§. 141.

2do *Oleoſa* vero aquoſis fere ſunt efficaciora. GUILLANDINUS teſte HEURNIO *a*) virum tetano affectum, totum in olei cadum immergendo, a morbo liberavit. Huic ſimilem caſum MORGAGNI *b*) refert: „ memini de ALBERTINO me „ audire, fuiſſe nefarium chymicum, qui „ plus laboris atque artis, quam alii ad „ remedia, inſumeret ipſe ad venenum „ parandum præſentiſſimum, & quod, ſi „ perficere potuiſſet, ſperabat halitu necaturum. Cum ergo multa & varia „ ... in vitreum vas conjeciſſet, longoque tempore, ac magno multiplicique artificio de malis jam multo pejora „ reddidiſſet, meritum ſceleris fructum „ cepit. Cum enim vas, inter transferendum prolapſus, perfregiſſet, im„ pen-

Hiſt. 201.

Hiſt. 202.

a) Comm. in HIPP. Sect. 2. Aphor. 26.

b) l. c. Epiſt. 10. n. 21.

„ penſarum, temporis, laborum perdito-
„ rum dolore propemodum inſanus, quid-
„ quid potuit effuſi liquoris ſpongia con-
„ tinuo excipere, inque aliud vas expri-
„ mere auſus eſt. Ecce autem convulſio-
„ nibus prehenditur, ut raptim in cubile
„ delatus, mox earum vi in humum de-
„ jectus ſit, ubi cito interea accerſitus
„ ALBERTINUS interveniens hominem
„ invenit ſerpentis inſtar ſe contorquen-
„ tem, atque oculis exſtantibus, exerta-
„ que lingua horrendum in modum mu-
„ gientem. Cum in graviſſimo caſu plu-
„ ribus auxiliis uſus eſſet, nihil æque
„ profuit, ac demittere totum hominem
„ in tepidum oleum; ſic enim convulſio-
„ nes quievere „. Atque huc perinde
ſpectat embroche olei, qua P. BAYRUS *a*) *Hiſt.* 208.
Pedemonti Principem ab opiſthotono li- *b*
beravit.

§. 142.

B. FRIGIDA porro, ut quæ calidis contrarios prorſus habeant effectus, rigoremque e laxitate etiam, ac ſpaſmum inducere poſſint, Tetano mederi, mirum forte videbitur. Sed id ab experientia adeo verum eſt, ut non tam de ſucceſſu,

 quam

a) Practic. L. 2. C. 20.

quam de aſſignanda potius ejus cauſſa, nos circumſpicere oporteat. Sane ſi, quod præclare HUXHAMUS *a*) animadvertit, conſideremus ope balnei frigidi ſpeciem febris intermittentis, quæ teſte COO *b*) tam ſæpe convulſionibus medetur, ac ſudores, qui non raro Tetanum critice ſolvunt *c*), elicit, induci, non poſſunt quibuſdam in caſibus non prodeſſe. GUIN-
Hiſt. 304. DANT *d*) refert virginem 28 annor. e mœrore fuiſſe totius corporis ſpaſmo prehenſam, imprimis ventriculi, ut vix aliquid deglutire poſſet, quin omnia illico evomeret. Ob muſculos colli ſumme tenſos caput flectere non valuit: dyſpnœa & tormina ſimul aderant. Multis fruſtra tentatis, tandem frigida balnea bis de die per 2 ad 5 horas, item enemata aquæ tepidæ, ac fomenta emollientia, adhibita. Balnea, etſi initio nec vomitum, nec dolores præpedivere, & alvum urinamque minuerunt, tamen die 4to adeo laxarunt nervos, ut urina & feces involuntarie prodierint, ſalivaque copioſa ſit mota. Die 5to omnibus ſymptomatis ſuperatis ægra prorſus convaluit. Balnea hæc etſi

novum

---

a) Opp. Tom. 2. Cap. 2.
b) Epidem. L. 6. Sect. 6. text. 9.
c) Vid. §. 95.
d) ROUX l. c. T. 27. p. 450.

novum remedii genus videri poſſent, jam dudum tamen HIPPOCRATI perfuſiones aquæ frigidæ fuerunt uſurpatæ; etenim *a*) „ quandoque (ait ille) in nervorum „ diſtentione, abſque ulcere, in juvene „ quadrati corporis, æſtate media, frigi„ dæ copioſa perfuſio caloris revocatio„ nem efficit, calor autem hæc ſanat „. Qua in ſententia ſuccincte caſus omnes, in queis balnea frigida locum habent, eſt complexus. Et alibi *b*) de curatione opiſthotoni agens „ poſt affuſam frigi„ dam plurimam (inquit) veſtimenta te„ nuia, pura, & calida ſuperinjicito, „ tuncque ignem ne adhibeto „. AURELIANUS *c*) quidem, juratus COI carptor, id magnopere damnavit, cum eo & PAULUS *d*), & alii; ſed experientia HIPPOCRATEM jam dudum abſolvit: nam & AVICENNA *e*) plures hac methodo ſanatos refert, & binis id exemplis confirmat VALESCUS de TARANTA *f*): „ iſto „ modo (ait) curavi juvenem 20 an„ norum, de quo deſperabatur in Mor„ lanis, quamvis non multum erat car- *Hiſt. 205.*

a) Sect. 5. Aphor. 21.
b) De Morbis L. 3.
c) l. c.
d) Libr. 3. Cap. 20.
e) L. 3. Fen. 2. Tract. 1. Cap. 7.
f) De morb. cerebr. L. 1. Cap. 21.

„ noſus. Habui fere 24 urceos plenos „ aquæ, & 4 viri ipſum ægrum erectum „ tenuerunt. Ego autem omnes urceos „ evacuavi ſupra colla & omnia inferio- „ ra membra ejus, & ſtatim poſui eum „ ante ignem, & poſt horam unam & di- „ midiam unxi ipſum acollo uſque ad po- „ ſtremum ſpondilem, ac tibias & bra- „ chia, cum dialthæa & Martiato & „ Agrippæ, cum oleo Caſtorei, & dedi „ ſibi brodium pullæ, & fere nihil am- „ plius feci, & in eadem nocte curatus „ fuit cum Dei auxilio. Alium curavi in „ Burdigalis, qui erat Anglicus (ſed „ iſte fuit corpulentus) per modum ſu- „ perius dictum „. Hiſce affinis eſt TH. COCHRANI *a*) caſus; tametſi ambigam, huc ne, an ad opium, vel utrumque

Hiſt. 206. potius locum pertineat; nimirum puer Indus duodennis a vacca ictus horas aliquot in pluvio aere jacuit. Poſtero mane rigorem colli, dolorem pectoris ac ſtomachi, laborioſam deglutitionem, ſpaſmos omnium muſculorum ſcapularium, & omnia triſmi ſymptomata eſt expertus. In corpore explorato nil niſi tumor leviſque

---

a) Medic. Commentar. von einer Geſellſch. der Aerzte zu Edinburgh 3. Th. 2. St. 2. Abſchn. n. 2. pag. 195. ſqq.

que convulneratio in ſcapularum ſuperficie viſebatur. Ob alvum clauſam ac multa tormina exhibitum Ol. Caſtorei alvum aliquoties movit. Veſperi facta Væ Se datæ omni trihorio L. L. gtt. 60. Altero die ſymptomatis auctis puer nudus in vannum locatus aquæ frigidæ urna perfuſus eſt, indeque exemtus groſſo panno ruditer perfrictus, tum ſcapulæ ac thorax oleo terebinthinæ delibuta: demum pannis calidis involuto datæ cum ad meridiem tum veſperi L. L. gtt. 100. Die 3tio morbus haud amplius crevit, ac licet maxillæ adhuc rigerent, tamen os uſque adeo æger aperire quivit, ut nutrimenti aliquid ſumere poſſet. Idcirco poſt iteratum balneum frigidum ab æthiope in equum ſublatus $\frac{1}{4}$ horæ citato curſu ferebatur, unde cum largo ſudore reverſo denuo L. L. gtt. 100. datæ, totidem a meridie, totidem ſub noctem. Die 4to cum eodem in gradu morbus perſtaret per 5 dies adhuc balnea frigida, ſed crebriora, uſurpata, auctaque opii doſis: atque hac methodo, uſui eccoproticorum & enematum juncta, ſub leviſſima ſimul diæta, æger poſt aliquot dies plane convaluit. Deinceps pari cum fructu ſæpius balnea frigida in Tetano univerſali ſe adhibuiſſe teſtatur COCHRAN.

CA-

CAPUT V.

FOMENTA, CATAPLASMATA; LECTUS.

§. 143.

Fomenta & *cataplaſmata* eaſdem, quas frictiones & balnea, habent indicationes: hinc ex iiſdem parantur remediorum claſſibus, i. e. ex emollientibus, aut ſolis, aut cum nervinis remixtis, atque ad partes ſpaſmo affectas, vel loca nervis vaſiſque reſorbentibus inſtructa, applicantur. Cum autem Veteres obſervaſſent omni re, quæ loci affecti in tetano aut tenſionem, aut preſſionem, doloremve intenderet, morbum exaſperari: idcirco in conficiendis etiam fomentis adverſus tetanum id imprimis dederunt operam, ut hæc quam molliſſima eſſent, minimique ponderis. Unde triplicis fere generis fomenta apud illos fuere uſitata, nimirum

§. 144.

1mo LANA *ſuccida*, liquore emolliente, ac vel maxime oleo, imbuta partibus rigidis applicabatur, cum & molliſſimi

ſimi ſit corporis, & ponderis fere vix ullius. HIPPOCRATES quidem lana fuiſſe uſus non legitur; at ARETAEUS *a*) „ o„ mne (inquit) corpus lanis involvito, „ oleo gleucino aut crocino madentibus, „ in quibus aut roſmarinus, aut conyza, „ aut artemiſia incocta ſit „. Tum AURELIANUS *b*) „ lanis mollibus (ait), „ ac mundis, oleo dulci & calido infu„ ſis, colla circumtegemus, & buccarum „ muſculos, quos Siagonitas vocant, & „ majores nervos cervicis, tenontas ap„ pellant, tum clunes, atque omne, „ quod doluerit „. Alterum fomentorum genus erant

§. 145.

2do PELLES *animalium*, emollientibus imbutæ. De his jam COUS *c*) egit, juſſitque Medicum iſthoc in morbo ægroti „ lumbos . . . a collo ad coxas molli „ pelle, pinguedine & cera illita, ita „ ut anteriora etiam cotineat, circumda„ re „ id quod AURELIANUS *d*) etiam probavit „ aliqui non ſine ratione com„ moti (dicens) etiam teneris & exer„ citis

a) l. c.
b) l. c.
c) De rat. vict. in morb. acut.
d) l. c.

„ citis pellibus agnorum vel hædorum, „ oleo calido tinctis atque madefactis; „ loca patentia vaporaverunt „. Denique „ uſurpabantur

§. 146.

3[tio] UTRICULI aut *veſicæ* capaces liquore emolliente calido ſemiplenæ, de quibus HIPPOCRATES *a*) „ ex intervallis (ait) etiam fomentis per utriculos utitor „. Et alibi *b*): „ tepefactoria humida & pinguia in veſicis & „ utriculis undique, præſertimque ad dolentes partes admoveto „. Tum ARETAEUS *c*): „ levibus calefactoriis fovendi ſunr tendones, & veſica per ſacculos milium torrefactum includentes, „ aut bubulas veſicas olei calidi ſemiplenas: quo locis, quæ foventur, ſecundum latitudinem applicari valeant „. AURELIANUS *d*) has veſicas ipſi lanæ ſuccidæ ſuperponi ſuaſit ad calorem in loco diutius conſervandum. Hoc eodem fomenti genere CHALMER *e*) etiam eſt uſus, veſicamque aqua calida repletam ſcrobiculo

a) l. c.

b) De Morbis L. 3.

c) l. c.

d) l. c.

e) l. c. pag. 100.

lo cordis, ubi nimirum acutus ille dolor opiſthotonum poſt ſe trahens *a*) aderat, perpetuo applicuit.

§. 147.

Interea tamen vulgaribus etiam cum fomentis tum cataplaſmatis uſos fuiſſe Veteres videre eſt, quod præter allatos jam Auctores e CELSO *b*) quoque colligitur, qui utile eſſe ait in tetano „ cerato liquido primum cervicem perungere, deinde admovere veſicas bubulas vel utriculos oleo calido repletos, „ vel ex farina calidum cataplaſma, vel „ piper cum ficu contuſum. Utiliſſimum „ tamen (eſſe) humido ſale fovere „. Tanta vero cum cura hæc topica, præſertim emollientia, ad ægras partes a Veteribus adhibebantur, ut eodem tempore, quo iiſdem extrinſecus cervix & maxillæ fovebantur, AURELIANUS *c*) ægros juſſerit ore aut aquam calidam, aut calidum oleum continere, quo certius partes rigidæ emollirentur.

§. 148.

a) Vid. §. 9. d.)
b) l. c.
c) l. c.

§. 148.

Quanta vero ſit horum omnium in tetano efficacia, hiſtoria Medica docet, ut queis ſolis interdum tetanus topicus ſit expugnatus; etenim COLLIN *a*) pertinacem muſculorum abdominalium in opiſthotono tenſionem fomentis emollientibus
Hiſt. 207. ſuſtulit. RULANDUS *b*) virginem tetano cum collo oblique contracto laborantem intra biduum curavit epithemate calido, omni trihorio renovato, ope triplicati lintei collo admoto, ex ol. chamom. & roſar. aa ℥jv. Butyri recent. ℥v. Per-
Hiſt. 208. inde *c*) dum „ uxor Præfecti cujuſdam „ 50. annor. cruciabatur tetano, quo caput „ cum cervice non poterat flectere, „ ſed recta intentum manebat, ac fortiter „ dolebat dies noctesque: hujus cervicem „ ſingulis horis inungi curavit oleo „ ſem. Lini; poſt innunctionem lintea triplicata „ in vinum decoctionis chamom. „ intincta & expreſſa applicari juſſit. Ex „ quibus dolor mox remiſit, patiens dormire „ cœpit, collum flectere potuit, & „ intra diem convaluit „. Narrat HA-
Hiſt. 209. ZON *d*) matronæ juveni, contracta a marito

a) Vid. §. 115. Hiſtor. 163.
b) l. c. Cent. 4. cur. 84.
c) Ibid. Cent. 8. cur. 88.
d) ROUX l. c. T. 14.

rito lue Venerea, poſt ſolitam præparationem aliquoties infrictus mercurius largum ac circiter menſis unius ptyaliſmum excitavit. Veri eſt ſimile, curam oris mundandi fuiſſe tum neglectam; quippe quod jam a 14 diebus tam arcte fuerit clauſum, ut non niſi alimenta liquida admitteret, neque ad majus intervallum etiam vel ſumma ope diduci potuerit, quam quod binis thaleris Gallicis majoribus immittendis ſufficeret. Qui medicinam ægræ faciebat, malum hoc nullius penſi habuit, utpote ſuapte deſiturum. Cetera ſyphilitici morbi ſymptomata univerſim evanuere. At ægra graviter ferebat, ſibi nec loqui, nec manducare, eſſe integrum, nec auxilii quidquam hac in re fuiſſe latum. Conſultus Cl. A. continuo os ipſum per reſiduam illam aperturam inſpiciens, reperit linguam admodum craſſam, ſuoque in margine ulceribus obſitam, totamque una cum cavo oris muco ſpiſſo obductam. Venit in mentem, muſculos maxillam elevantes ſuis in partibus internis inflammatos eſſe, atque a profunde ſitis ulceribus contactos, nec opinio fefellit; hinc enim tetanus maxillæ originem traxit. Muſculi extrinſecus explorati præduri, at indolentes, fuere, ligamentiſque ſimiles. Omnem ita-

que curam convertit ad eoſdem emolliendos laxandoſque, quod obtinuit decoctis emollientibus e malva, althæa, beta, cum æquali lactis copia, queis partes affectas foveri ſæpius interdiu, ac irrigari juſſit. Muſculis impoſitum empl. nigrum ſine lithargyrio ſpiſſe affrictum, deſuperque cataplaſma e mica panis & lacte. Hinc muſculi molliti cedebant adeo, ut ſenſim aperiri os poſſet. Hujus, linguæ, ac maſſeterum interni parietes ulcera in conſpectum tunc dabant, depuranda collutoriis abſtergentibus e ſyrupo moror. c. ∿ ⊕li confectis, ac litu e ∿ ⊕li cum melle roſaceo ope radicis althææ uno extremo exfibratæ, teneroque linteolo obductæ, in eundem intinctæ, identidem admoto. Quoniam vero ægrota, quamvis jam dudum nihil manducaſſet, pondus ventriculi ſentiebat, rebatur ventriculum ſimili muco, qui partes oris inſedit, eſſe onuſtum, dum ptyaliſmi tempore in os affluens, hinc in ſtomachum glutiendo pellebatur. Quapropter quatuor emetici doſes datæ, quæ magnam muci copiam excuſſere: unde ingens levamen. Poſtero die idem bono cum ſucceſſu eſt iteratum. Demum datis aliquoties catharticis e manna, ⊖ e SEIGNETTI, & ſyr. domeſt. ægra in integrum convaluit.

§. 149.

§. 149.

FIMUS *equinus* hic prætereundus non eſt, cui magnam adverſus tetanum ineſſe vim obſervata Medica docuerunt, ſi calidus partibus affectis applicetur. Inventum A. PARAEO *a*) debetur, qui militem e vulnere carpi, globo ſclopi inflicto, in ſphacelum ad cubiti uſque articulum ſerpentem abeunte, cum vehementiſſima thoracis inflammatione, amputatoque propterea ad cubiti articulum brachio, in maxillæ tetanum cum diſtorſione faciei, artuumque contractione lapſum, e granario (ubi jacuit) frigori ventiſque mediæ tum ac rigidæ hyemis pervio in ſtabulum transferri, ibique linimento convenienti prius perfrictum, dein linteo obvolutum, in fimum calentem collo tenus defodi juſſit. Ubi exacto triduo obortus lenis alvi fluxus ac largus ſudor tetanum hominis ſenſim ſolvit. Ter HAENIUS *b*) fimum equinum forma cataplaſmatis muſculis maxillæ in triſmo cum ſucceſſu applicuit; quartum *c*) tamen nil profuit. Neque inutilem eum STÖRCK *d*) expertus *Hiſt.* 21.

Ee 2 eſt.

a) Opp. L. 11. C. 25.
b) Rat. Med. P. 10. C. 4. §. 7. n. 4. 5.
c) Vid. §. 95. Hiſt. 152.
d) Anno Medico 1. p. 9. ſqq.

eſt. „ Inter primos (ait) noſocomii ægros
Hiſt. 211. „ mihi occurrit juvenis 15 ann. qui toto cor-
„ pore rigidus & inflexilis fuit: adſtan-
„ tes narrabant, quod ante aliquot dies
„ per omnes artus dolorem lancinantem
„ ſit conqueſtus, quodque poſt paucas
„ horas citra cauſam vel ſibi vel aliis co-
„ gnitam totus rigidus evaſerit, & quod
„ tunc dolores ceſſarint. Corpus ægri
„ examinando, inveni brachia & manus
„ ſecundum trunci longitudinem extenſas,
„ rigidiſſimas, & trunco firmiſſime ap-
„ preſſas; crura & pedes eodem modo
„ ſe habebant; venter fuit tenuis & con-
„ tractus, & lapidis inſtar durus, atta-
„ ctu non dolens; ſpina dorſi rigidiſ-
„ ſima, collum immobile; maxilla infe-
„ rior ſuperiori pertinaciter applicata;
„ muſculi maſſeteres & temporales, qua-
„ ſi vi fortiſſima agentes, erant tumidi
„ & duri. Inter dentes inciſorios ef-
„ fractos exiguum ſpatium relinquebatur,
„ per quod pauca juſculi aut medicamen-
„ ti copia ingeri potuit. Lingua tamen
„ manſit volubilis, oculi vivi, mens non
„ oppreſſa, reſpiratio ſatis bona. Pulſus
„ fuit æqualis, naturali non celerior,
„ liber. Conjicere igitur licuit, vaſa ma-
„ jora ſanguinea eſſe libera, & forſan
„ in lymphaticis eſſe humorum ſtagna-

„ tio-

„ tionem, in nervis ſpaſmum. Quapro-
„ pter ſpaſmus ſolvendus, & ſtagnans
„ in motum ducendum indicabatur. Bal-
„ neum emolliens, diſcutiens, & ejus-
„ modi fomenta toti corpori continuo
„ applicata, optime & citiſſime profuiſ-
„ ſent, verum noſocomii circumſtantiæ
„ ſimile tentamen non admiſerunt. De
„ maxilla mobili reddenda cogitabatur
„ primo, atque hunc in finem catapla-
„ ſma ex ſtercore equino in cereviſia
„ cocto calidum diligenter applicatum
„ eſt. Per aperturam inter dentes in-
„ ciſorios, præter tenuia alimenta, mi-
„ ſtura cochleatim ingerebatur

„ ℞. ∿ ⊖ ✱ ʒj.
🜊 Rutæ q. ſ. ut f. perf. ſatur.
▽ Rutæ ℥iij.
Syr. Gran. Kerm. ℥j. M. S. Su-
matur

„ omni bihor. cochl. j. Bis de die ſpina
„ dorſi inuncta & perfricta eſt linimento
„ ex Ol. Verbaſci ℥ijß. ∿ ⊖ ✱ ʒj. &
„ alterno die humeris & toti ſpinæ dorſi
„ cucurbitæ ſiccæ appoſitæ ſunt. Quarto
„ die æger jam movit ſat libere maxillam,
„ ſolidiora momordit, deglutivit; reliqua
„ vero in priori ſtatu perſtitere. Quin-
„ to die ingratum cataplaſmatis odorem
„ amplius ferre non potuit, atque ab ejus

„ vaporibus tuſſim ſiccam defatigantem „ conqueſtus eſt: unde id, maxilla jam ſatis mobili, amovi, atque totum collum, „ muſculos maſſeteres, temporales, & „ maxillæ articulationem priori linimento „ bis de die perfricari juſſi. Omni die „ facta eſt maxilla liberior, æger ſingulo „ bihorio ℥ß ex MRᵃ aſſumſit, & præ„ter juſcula, ac alia tenuia alimenta ſe„rum lactis copioſe hauſit. Inteſtina „ quotidie enemate ex ſolo oleo lini „ emolliebantur, unde dura fecum ſcy„bala educta ſunt. 8vo die æger jam mo„vit manus & brachia, intra paucos dies „ movit & pedes. Intermiſi tunc cucurbi„tas; etenim dolores magnos excitarunt: „ ſed reliqua medicamenta continuari cura„vi. 25to die auxilio famuli jam cœpit am„bulare. 30mo die jam ſolus ambulavit. „ Poſthac ſolo ſero lactis & diæta bene „ nutriente intra paucos dies pinguedi„nem & vires integras recuperavit „.

§. 150.

Hiſt. 212. Mirum phænomenon refert LIND *a*), nempe accidiſſe, ut quotieſcunque opiſthotonici pedibus applicabatur epithema ex opio &

a) l. c. pag. 243.

& camphora, toties ſpaſmus illico deſie-rit; ut primum autem illud removebatur, hic priſtina cum vehementia continuo repetierit. Epithemati ne, an potius arctæ forſitan faſciæ epithema firmanti, inſolitus hic effectus eſt tribuendus? Certe crurum e ſpaſmis tetanicis dolores mire levari ſenſit PUJOLI *a)* ægra, quoties plantæ pedum fortiter comprimebantur. DELAROCHII *b)* puella rogavit etiam, ut ſibi dexter pes fortiter comprimeretur; eo quod multum inde levaretur.

§. 151.

LECTUS denique cum haud ſecus, quam ipſa fomenta & cataplaſmata, artus ſpaſmo correptos fovere debeat, neceſſe eſt hunc ipſum etiam illorum habere dotes: eapropter ARETAEUS *c)* lectum imperat „ mollem, tractabilem, levem, ſva-„ vem, calidumque . . . nervos enim in-„ flexiles, duros, rigenteſque morbus „ efficit„ inquit. Perinde AURELIANUS *d)* juſſit „ ægrotantes jacere . . . mollibus „ atque calidis ſtramentis; prima enim „ (ait) celeritatis morborum mitigatio „ eſt ſtraminum mollities „.

a) Vid. §. 130. Hiſt. 180.
b) Vid. §. 128. Hiſt. 179.
c) l. c.
d) l. c.

CAPUT VI.

ERRHINA, VESICANTIA, ELECTRICITAS.

§. 152.

Quies *corporis animique* in tetani curatione quantum ſit neceſſaria, facile ex noxis a variis ſeu corporis ſeu animi motibus obſervatis colligitur. Vidimus paſſim *a*) in decurſu hujus commentarii vel ſola motuum peragendorum molimina ſuffeciſſe ad ſpaſmum præſentem intendendum, ſopitumque jam denuo revocandum. Ab animi pathematis vero ſi protopathice oriri ſolet, quid ni ab iiſdem & intendatur præſens, & abſens revocetur? Unde ad curationem tetani hujuſmodi remedia commendari mirum videri poteſt, quæ aut univerſum corpus concutiunt valide, aut perpetuo illud ſtimulo alicubi moleſtant. Horum e cenſu ſunt

§. 153.

---

a) Vid. §. 23. d.)

§. 153.

1mo ERRHINA. „ Sternutamenta ve„ hementia & multa „ excitari tetanicis jubet HIPPOCRATES *a*). Cum autem vir hic nihil unquam incaſſum dixerit, neceſſum eſt, bonum ex illis ſucceſſum aliquando in tetano viderit. Reperio & ab RULANDO *b*)data. Quærit vero HAEN *c*), quæ ſit eorum indicatio? autumatque excitari ab iis ſpaſmum novum, qui priorem illum tetanicum aboleat, id quod aliis etiam in caſibus ſæpe uſuvenit. Interea vero omnia errhina hic damnat AURELIANUS *d*).

§. 154.

2do VESICANTIA vel *rubefacientia*; quæ etſi cum omnibus aliis acribus irritantibuſque CHALMER *e*) rejiciat, tamen varium in tetano uſum habere poſſunt, dum nempe 1mo) ſpaſmo novo tetanicum ſpaſmum turbant, & abolent, 2do) acre nervis alicubi incubans, ac tetanum cauſſans, præſertim metaſtaticum, elici-

 unt,

a) De morbis L. 3.
b) Vid. §. 135. Hiſt. 189.
c) Rat. Med. P. 6. C. 4. §. 9.
d) l. c.
e) l. c. pag. 95.

unt, &c. Atque hoc forte ſcopo Veteres acria nonnulla cuti applicuere, ut euphorbium, nitrum, pyrethrum *a*), ſalem humidum, &c. GUINDANT *b*) virgini 20 annor. tetano univerſali cum dyſpnœa, pulſu duro, motuque maxillæ inferioris convulſivo, periodica dentium conſtrictione, deglutitione ardua, renum dolore, ac ſumma inquietudine laboranti, poſt fruſtra plurima tentata remedia, tandem veſicantia ad ſuras applicuit, quæ pertinaciſſimum morbum prorſus ſuſtulerunt. Eandem in KLAUNIGII *c*) tetanico exeruere efficaciam. Interea tamen ſæpius ſpem medentis eludunt, ut accidit in ægris SCHMUCKERI *d*), WHYTTII *e*), HAENII *f*), MANGETIque *g*).

Hiſt. 213.

§. 155.

3tio ELECTRICITAS quoque, quemadmodum in aliis nervorum morbis, ita in curatione tetani, efficax eſt reperta. Primus eam hic tentavit. W. WATSON *h*) in

a) ARET. & CELSUS ll. cc.
b) ROUX. l. c. T. 25. p. 509.
c) Vid. §. 51. Hiſt. 73.
d) Vid. §. 50. b.) Hiſt. 65.
e) Vid. §. 5. A. n. 1. Hiſtor. 9.
f) Vid. §. 43. Hiſt. 49.
g) Vid. §. 62. Hiſt. 128.
h) Philoſ. Tranſact. Vol. 53. n. 6, p. 10.

in puella ſeptenni. Cœpit hæc maxillæ ſpaſmo affici, difficilique deglutitione, citra ullum tamen dolorem: malum ſenſim in univerſalem tetanum adolevit, motu in ſolo brachio lævo ſuperſtite. Acceſſere etiam per intervalla motus convulſivi. Multis diu & incaſſum tentatis, demum electrica vi quotidie applicata ægra ita ſenſim reſtitui cœpit, ut poſt octimeſtrem ejus uſum priſtinam recuperaverit valetudinem. Poſtea eodem cum ſucceſſu electricitatem in tetano adhibuit E. SPRY *a*). *Hiſt.* 214.

Virgo 18. annor. a terrore convulſivos primum motus, tum ſenſim maxillæ ſpaſmum, ac lateris dextri paralyſim ſub coxa eſt experta. Omnibus necquidquam adhibitis, paralytico cruri tandem vis electrica eſt admota, unde intra 6 dies cruris uſum recuperavit. Poſtea ictibus electricis in os, linguam, tempora, mentumque inflictis, iiſque ſenſim auctis, puella ſpatio binarum hebdomadum plane convaluit. *Hiſt.* 215.

CA-

a) Ibid. Vol. 57. Part. 1. n. 10. p. 88.

CAPUT VII.

EMPHYSEMA.

§. 156.

EMPHYSEMA *artificiale* etiam e claſſe præſidiorum externorum adverſus Tetanum non cenſui omittendum, ignotum prius Europæis ad profligandos morbos auxilii genus. Unica vero tantum hanc in rem adhuc ſuppetit obſervatio nautici Chirurgi FAKKENBERG *a*) in ora Angolæ maritima inſtituta: nimirum A. 1763.
Hiſt. 216. die 16ta April. æthiops puer, plus minus annos decem natus, dolore lateris, anxietate, ac tuſſi leniore primum, poſtea ingraveſcente, correptus, aut veram, aut ſpuriam certe pleuritidem pati videbatur. Vena bis tuſa, data biduo vel triduo idonea remedia: minuebatur ita cum tuſſis, tum dolor thoracis; at æger in totum nunc corpus diffundi dolorem querebatur, cui malo remediis aptis eſt obviam itum. Nihilominus lapſo triduo corpus univerſum obriguit: adhibita auxilia intus

a) v. Samml. auſerl. Abhandl. zum Gebr. pract. Aerzte 2. Band. 1. St. p. 28. ſq.

intus foriſque, ut veſicantia, frictiones, unguenta, balnea; ſed necquidquam: rigor etenim adeo increverat, ut remediis internis aſſumendis nulla prorſus ſupereſſet facultas, ægerque rigide gelato cadaveri fieret ſimillimus, niſi quod pauxillum aquæ frigidæ adhuc trans dentes conſtrictos ſugere poſſet. Vox ei erat non intelligenda, labia cruſta fuſca obducta, ſaliva ex ore manans fœtorem cadaveroſum exhibuit. Hoc in ſtatu æger Aprilis 29na videbatur jam depoſitus, ridiculaque Navarcho res apparebat, dum poſceret Cl.A. ut ſibi copia fieret in ægro Emphyſematis artificialis, quemadmodum æthiopibus in uſu eſt, periculum faciendi: ea nihilominus impetrata, curavit continuo a nautico fabro tubulum æneum fabrefieri, fine uno cylindricum, altero in conum cavum deſinentem. Tum ægro, qui interea quinque diebus ſola aqua frigida ſe ſuſtentaverat, commodum in ſitum compoſito, in interno cruris latere exiguam inciſionem fecit, quæ nempe cylindricæ tubuli parti admittendæ ſufficeret, tubulumque per illam ſub cutem intra celluloſum textum ad duos pollices tranſverſos immiſit, perque conicam illius partem aerem inflavit, conſtrictis arcte antea undique ad tubuli latera vulneris facti labiis, ne ſe illac aer

foras

foras ſubduceret: qui, ut immiſſus erat, cutem in tubera levavit, inque iis & tangi, & ultro citroque premi ſe paſſus eſt: unde non pes modo, verum univerſum ægri corpus intumuit. His viſis tubulo educto linteum carptum tantillo Balſ. Peruv. imbutum vulneri impoſuit, emplaſtro texit, ac faſcia ſatis arcte, ut vulnus clauſum teneret, firmavit. Æger hora poſt operationem reviviſcere viſus, popoſcit fructuum genus, quod ibi locorum progignitur, exque illo inter dentes detento ſuccum ſugebat. Poſtero die jam os aliquantum diduxit, nec niſi de raucedine querebatur, contra quam per aliquot dies decoctum pectorale exhibitum. Rediit ſenſim appetitus; rigor, tumorque arte inductus, minuebantur, ægerque cum ſumma omnium admiratione prorſus convaluit. Serior forte dies documento erit, quid ex hac methodo in morborum curatione boni ſit exſpectandum. Nunc unum etiam in curando Tetano diſquirendum ſupereſt auxilium, videlicet

CA-

CAPUT VIIII.

CUNEUS.

§. 157.

CUNEUS aut *ſpeculum oris* utrum inter externa adverſus maxillæ tetanum præſidia ſint referenda, res perquam eſt controverſa. Superius *a*) oſtenſum eſt, uſque adeo ſæpe dentes maxillæ utriuſque ad ſe mutuo vi ſpaſmi coire, ut ne acicula quidem iis interſeri queat, nullo animæ imperio ab ſe diducendis. Unde, cum hic morbi ſtatus omnem cum nutrimenti tum remediorum aſſumtionem, a qua & vita & curatio pendent, prohibeat, adnixi ſunt nonnulli Medentes viam alimentis remediiſque vi aperire. Idcirco ſpeculis oris vel cuneis, quorum formas PARAEUS *b*), HILDANUSque *c*) dederunt, & uſum e propria experientia tutum commendarunt, intra dentes adactis mandibulam inferiorem ab ſuperiore abducebant tanto intervallo, quod liquidis ut

---

a) Vid. §. 19.
b) l. c. & L. 8. C. 11.
c) l. c. & Ciſta militari Claſs. 19.

ut minimum alimentis remediiſque admittendis ſufficeret.

§. 158.

Alii contra violentam hanc oris reclusionem ſummopere reformidarunt, damnaruntque; eo quod cum omnis muſculorum rigidorum tenſio dolorque, ut alibi *a*) dictum, ſpaſmum præſentem intendat, revocetque abſentem, tum præſertim violenta hujuſmodi vexatio id ante alia efficere queat; imo ſæpe non ſine periculo rumpendorum tendinum aut maxillæ frangendæ *b*) tentetur. Eſſe etiam tum alimentis tum remediis viam reliquam, ut quæ, modo liquida ſint, & inter dentes utcunque clauſos ſe ſe natura ſua penetrare, & ope enematum quoque infundi *c*) poſſint. Haſque indubie fuiſſe cauſſas, cur hujus auxilii neque HIPPOCRATES, neque ARETAEUS, neque alii prudentiores Veteres meminerint, imo illud AURELIANUS *d*) diſertis verbis damnarit: „ oportet (inquiens) etiam „ cibum ebibi potius, quam maſticari, ob „ den-

---

a) Vid. §. 23. d.)
b) Ibid.
c) Vid. §. 133. n. 3.
d) l. c.

„ dentium concluſionem, quam leviter „ digitis aperire tentabimus, prohibentes „ ligneos, ut plerique adhibent, cuneos: „ etenim quaſſationem partium atque in- „ dignationem faciunt, toto tempore ci- „ bi ſumendi permanentes „. Neque magis FORESTO *a*) res arriſit: „ me- „ mini (narrat ille) me vidiſſe in quo- „ dam adoleſcente. . . . qui cum intus tu- „ morem latitantem haberet cynanchicum, „ qui totam maxillam ita concluſerat, ut „ os nullo modo aperire poſſet, chirur- „ gus imperitus inſtrumento quodam inter „ dentes poſito, inſtar ergatæ, nitebatur „ quadam violentia os aperire. At bonis „ avibus cum ipſe accederem, cum illud „ tentaret, æger diducto ore in convul- „ ſione lapſus eſt, & niſi inhibuiſſem, „ a rotatione vix abſtinuiſſet. Verebar, „ ne ſubito convulſus periiſſet: verum „ hic adhibitis iis, quæ emollirent, & „ modice calefacerent, cum 5 aut 6 die- „ bus per os nihil ſumſiſſet, tumor cy- „ nanchicus, qui intus latebat, perruptus „ eſt, & ex ore pure fluente magna no- „ ſtra induſtria curatus fuit. . . . Novi „ & alium tonſorem juvenem, cum æ- „ grotum præ manibus haberem, cui in

Hiſt. 217.

Hiſt. 218.

 „ febre

a) l. c. Schol. ad Obſerv. 112.

„ febre acutiſſima dentes ſtridebant, & „ convulſionem patiebatur, ut os aperire „ non poſſet, qui me inſcio ſimili inſtru- „ mento tentabat os aperire; at paulo „ poſt cum ingreſſus eſſem ad ægrum, „ tonſorem admonui, ne quid tale am- „ plius tentaret, alioqui ægrum, qui „ nunc videbatur moriturus, in majo- „ rem convulſionem deduceret; qui ta- „ men, cum pro deplorato haberetur, „ etiam a me miraculi inſtar curatus eſt „.

§. 159.

Hæc ut ut ſint, certe aut nutriendi aut remedia ingerendi ſcopo ut id genus inſtrumenta in uſum vocentur, nemini auctor eſſe vellem, ob rationes paulo ante (§§. præced.) datas. At vero ſi maxillæ tetanum abſceſſus faucium *a*) induxit, ad huncce perrumpendum, modo machina haud maturius, quam par eſt (quemadmodum in primo FORESTI ægro factum eſſe videtur) applicetur, nihil præſentius efficaciuſque eſt, quam oris ope hujuſmodi cunei diductio: ſæpe enim ſub ipſa operatione machinæ abſceſſus a partibus vicinis compreſſus crepat; quo facto plerumque ſpaſmus maxillæ continuo ſolvitur,

a) Vid. §. 58.

tur, ut rem HAENIUS *a*) in ſe ipſo eſt expertus: „ annos 20. natus „ (in- *Hiſt. 219.*
„ quit) anginam paſſus ſum, quæ ne-
„ glecta in ſuppurationem abivit cum per-
„ fecto maxillæ Tetano. Cum ſummas
„ anguſtias ad 14 diem ſufferrem, alius
„ Medicus advocabatur, qui illico lar-
„ gam V. S. inſtituit; deinde eo juben-
„ te Chirurgus trochlea leni inducta ma-
„ xillam magno cum labore ſenſim didu-
„ xit, donec tandem ſtrepitum in fauci-
„ bus perciperem, rumperetur que abſceſ-
„ ſus: unde copia ingens puris putridiſ-
„ ſimi ore proſiliit, & nonnihil quoque
„ in gulam illapſum eſt. Purgante iterato
„ dato intra paucos dies convalui „. Neque inutilis eſt etiam cunei uſus in triſmo non admodum pertinaci; ſunt enim rigores tetanici, qui ſola vi externa, abſque ullo alio remedio, ſunt ſuperabiles, velut luculento eſt exemplo hanc in rem caſus BOLTENII *b*).

a) Rat. Med. P. 10. C. 4. *b*) Vid. §. 42. Hiſt. 46. §. 7. n. 1.

CAPUT IX.

VULNERUM TRACTANDORUM RATIO.

§. 160.

VUlnera tetanum poſt ſe toties trahentia quoniam hujus in ſe rationem ſufficientem continent, ad ejus curationem, ut legitime tractentur, res eſt maximopere neceſſaria. Quod porro ut pro eo, ac par eſt, fiat, diligenter eſt diſpiciendum, quid illud potiſſimum in vulnere ſit, quod occaſionem præbuit tetano; princeps enim eſt indicatio illud ipſum auferendi. Eſſe autem varia poſſunt, eaque vel in ſenſus incurrentia, vel nulla etiam ſenſuum acie detegenda. Senſibilia ſunt v. g. nervi, tendiniſve, aut aponevroſeos inæqualis tenſio, ſeu ob vulnus vicinarum partium illa non æquabiliter diſtrahentium, ſeu quod ipſi illi nervi, aut tendines, aut aponevroſes, ſemidiſciſſa, aut ſemilacera inæqualiter tendantur. Perinde inter ſenſibiles tetani in vulnere cauſſas reponendæ ſunt nervorum ligaturæ, & vulnerum deligationes. Hæc itaque variis pro re nata modis tollere oportet. Solenniores autem ſunt:

§. 161.

§. 161.

1mo BALS. PERUVIANUS aut *Oleum Terebinthinæ* nervis, tendinibus, aponevroſibus ſemidiviſis, aut vehementer irritatis, calide adhibita. Sed quoniam ſæpenumero optatum non ſortiuntur effectum, non eſt eorum uſui diu immorandum, ſed priuſquam deteriora ſequantur, mature eſt

§. 162.

2do LIGATURA nervi, ſiqua illa adeſt, ſpaſmumque creavit, velut e PLENCKIO *a*) vidimus, ſolvenda. Sublata id genus ligatura ſæpe obſervavit THEDEN *b*) illico deſiiſſe epilepſias, quæ a ligato funiculo ſpermatico ſunt obortæ. Si vero nulla adeſt ligatura, tunc

§. 163.

3^tio DISCISSIO *nervi tendiniſve* ex integro faciunda, ut ſic inæqualis illa tenſio deſinat, quod quo maturius ſuſcipitur, eo certius malo medetur. Sic in puella apud DELAROCHE *c*) tendo extenſor di-

 giti

a) Vid. §. 62.

b) Neue Bemerk. und Erfahrung. zur Bereicher. der Wundarzn. 1. Th. 3 Abſchn. n. 3. p. 52. ſqq.

c) Vid. §. 128. Hiſt. 179.

giti medii ſemilacer forfice diſciſſus occipientem jam cervicis tenſionem continuo ſuſtulit. Hujuſmodi caſum etiam
Hiſt. 220. SCHMUCKERO *a*) debemus: miles ad 30 annos natus anno 1760. e gravi capitis vulnere cum triſmo decubuit tanto, ut non niſi pauxillum fluidi trans hiatum duorum abſentium anteriorum dentium ſumere poſſet, integro ſub mentis uſu. Mediam oſſis parietalis dextri partem enſis plane percidit, cujus a tabula interna fragmentum abſiliens cerebrum premebat. Duæ porro fiſſuræ aderant, una totam oſſis bregmatis longitudinem emenſa in angulo, qua os lambdoideam ſuturam ſubit, terminabatur, altera per os coronale in ſinum frontalem excurrit. Idcirco præmiſſis, quæ e re eſſe viſa, quadruplex poſtea trepanatio inſtituta eſt, qua & ſanguis effuſus & feſtuca exemta ſunt, & avulſæ a cranio atque a feſtuca vulneratæ duræ matris patuit dimenſio. Facta inde, pro ~~eo~~ ac par erat, deligatione triſmus nihilominus æque vehemens perſtitit: idcirco præter ea, quæ vulneris ratio popoſcit, maxillæ ac maſſeteri fomenta emollientia admota, V. S. ob fortem plenumque pulſum larga iterata, injecta enema-

a) l. c. 1. Th. 31. Beobacht. p. 324. ſqq.

mata emollientia; interne lac cum aqua, & omni trihorio L.L. gtt. xv. data. Cumque die 5to tetanus haud remitteret, febre alioquin vacuus, vulnere cetera optime procedente, jura & enemata nutrientia ægro ſæpius per diem ſunt exhibita. Die 6to ob triſmum non mutatum data Opii gr. jv. in Aqu. Cinnam. ℥jv. intra nyčthemerum abſumenda; ſed ſine levamine. Die 16to ſub deligatione obſervatum eſt pus ſub muſculo temporali emergere, & facta loci exploratione os nudatum ibidem eſt repertum. Hinc muſculus illico longitudinaliter diſciſſus (ſub quo nova fiſſura capillaris tabulæ extimæ ad ſquammoſam uſque ſuturam excurrens detecta eſt) eodem tempore, quo inciſio peragebatur triſmum ſolvit, continuoque æger molli pani mandendo par erat. Inde cum celeriter ſymptomata remiſiſſent, medela ad ſolum vulnus adhibita æger poſt 10 hebdomades prorſus convaluit, atque anno 1763 ſanus ad ſuos revertit. Quod ſi vero ne id quidem ſpaſmum ſolvat, eſt ne profutura

§. 164.

4to AMPUTATIO *membri vulnerati*? Sæpe quidem, haud ſemper tamen,

amputata parte viſus eſt deſiiſſe tetanus, ut proinde hoc remedium ſit omnino
Hiſt. 221. ambiguum. D. MONRO *a*) narrat militem, ablato ad prima triſmi obſervata indicia digito vulnerato, convaluiſſe. Imo adeo ſæpe amputatio eſſe videtur neceſſaria, ut niſi hac peracta ipſum quoque opium nil aliud quam palliativum ſit remedium, quod tres luculenti caſus docebunt. SILVE-
Hiſt. 222. STER *b*) narrat feminam tres ſupra viginti annos natam, bono valentique corporis habitu, anno 1749. die 1ma Januar. in itinere per lapſum primam manus dextræ digiti annularis phalangem laceraſſe. Intenſiſſimus (ait) dolor inde ortus eodem adhuc veſpere illam ad noſocomium Londinenſe accedendum compulit; ibi chirurgus HARRISON continuo læſam phalangem abſcidit, unde brevi ægra levamen percepit, nec niſi deligandi vulneris ergo quotidie noſocomium frequentabat. Verum cum alterius quoque phalangis pars ex lapſu nudata laceraque eſſet, dolor in dies crevit: partes, quæ phalangem obtegere & coire debuiſſent, quotidie ſe ſe retrahebant magis, ut demum tota manus valde tumeret, variaque in palma ma-

nus

---

a) l. c.

b) Medic. Bemerk. und Unterſuch. einer Geſellſch. von Aerzten in London 1. Band. n. 1.

nus ulcera pullularent. Idcirco vena tuſa die 17ma morbi in noſocomium eſt recepta, ubi ejuſdem diei veſpera maxilla tetano prehenſa, totam noctem anxia tranſegit. Poſtero mane nihil alimentorum aſſumere poterat, niſi quæ minimo cochleari inſtillabantur, idque ipſum, cum inferior maxilla vix eſſet mobilis, citra aliquot dentium evulſionem procurari non potuiſſet, niſi maxilla inferior natura ſua ultra ſuperiorem antrorſum magis fuiſſet prominens. Hoc ſymptomate oborto petiit HARRISON, ut ægræ curam in me ſuſciperem. Quapropter die 18va juſſi veſicans unum dorſo, aliud circum collum, ac utramque poſt aurem alia applicari: interius alexipharmaca cum volatilibus crebro ac magna doſi exhibui, quorum in uſu perrexit ad uſque diem 20^{mam}; quo temporis intervallo res ægræ continenter in pejus vergebat; nam maxilla penitus immobilis evaſit, loquela multum eſt mutata, dorſum ſæpe ac vehementer convellebatur, ita ut ubi interdum ægra ſe ſe erigere conabatur, illud tanta vi in pulvinar revelleretur, veluti ſi ipſa ſe ſumma vi in dorſum projeciſſet, eodemque tempore femora ac brachia violentiſſime in rectum extendebantur: verbo, quælibet pene pars perpetim convulſione ten-

tabatur, tamque vehemens aderat dolor, omnem ut ſomnum penitus ademerit. His acceſſit viſus auditusſque ac memoriæ imminutio. Quare die 20ma præſcripſi ℞æ thebaicæ gtt. 20. quavis 6ta hora cum julepo ſumendas: & quoniam 21ma omnia erant eadem, datæ ſunt dictæ ℞æ gtt. 30. omni 6ta hora. Poſtero die levamen aliquod percepit; hinc data eſt ex iiſdem intervallis ℞a ad gtt. 40. Die 23^{tia} ſomnus tribus diverſis vicibus ad $\frac{1}{2}$ horam obrepſit: convulſiones haud ita crebræ, etſi æque vehementes, repetiere. Videns optatiſſimum ab opio effectum, ordinavi extracti opii gr. iij. ter de die; unde 24ta longe melius habuit: proinde arbitrabar ſuffectura Opii gr. ij. At dies 25ta docuit, auctiore etiam opii doſi opus eſſe: ideo exhibita ſunt gr. viij. mane duo, duo a meridie, & jv. ante noctem, quam poſtremam doſin die 27ma ad gr. vj. perduxi. In his ægra ad diem uſque 30^{mam} pergebat, quo tempore cum ſpaſmos ſopitos potius, quam ſublatos, animadverterem, ac maxilla convulſa etiamnum maneret, chirurgo auctor eram, totum ut digitum demeret. Cum enim pars oſſis in ſecunda phalange plus nudata jam eſſet, cutiſque ac tendines ſe ſe retraxiſſent, nullaque conſanationis ſpes affulgeret, omnia

a me

a me facienda vix alium habitura effectum, quamdiu cauſſa non tolleretur, conjiciebam, quam ſymptomatum lenimen. Nox quidem digitum ademtum conſecuta eſt laborioſa; at poſtero die cœpit in melius proficere ægra, & in dies deinde magis. Convulſiones primum brachia ac dorſum, dein femora reliquere. Vulnus celerrime coivit. Sola maxilla rigida difficulter etiamnum movebatur. Sublatis ſymptomatis opii doſin uno fere grano quotidie imminui, uſque ad gr. j. quod aliquo adhuc tempore ſub noctem ſemper ſumendum dedi. Tandem principio Martii femina ſana, niſi quod levis maxillæ rigor remanſerit, qui os tantumdem, ac ante hunc morbum poterat, diducere non ſinebat, noſocomium reliquit. Memorabile hocce in caſu eſt, ægram, licet opio non aſſvetam, tanta illud doſi citra ullam noxam ſumere potuiſſe; quin imo levatum inde fuiſſe encephalon potius, ſpiritus vitales excitatos, vocem emendatam, appetitum viresque refectas. Alterum vidit CH. WHITE *a*): ad juvenem 20 annorum, die 3tia Sept. A. 1759. accitus ſum, ait, qui ante quatriduum ſpaſmo maxillæ ac faucium dolore affligi cœpit, idque in dies poſtea magis. Reperi maxillam tam adſtrictam, ut *Hiſt. 223.*

a) Ibid. 2. Band. n. 34.

ut citra fracturæ periculum abduci nequiret. Hinc nonniſi liquidis inter dentes immiſſis nutriebatur. Omni pene minuto prehendebatur motibus ſpaſmodicis vehementibus, capite, quoties e ſedili aſſurgere voluit, tanta vi retrovulſo, ut ſæpe humi ſterneretur. Artus inferiores iiſdem erant ſpaſmodicis obnoxii ſymptomatibus. Ad hæc palpebræ valde contractæ, auditus multum obtuſus, dyſuria, alvus clauſa, niſi quam enemata movere, acceſſit. Collum dorſumque rigebat, os ſpaſmus cynicus invaſit: muſculi gaſtrocnemii & abdominales ſumme intenti, omneſque articuli adeo rigidi, ut ſine ſumma vi moveri nequirent. Quærenti mihi, num manuum pedumve digitos æger læſiſſet? Abnuit. Lævam vero manum prehendens reperi in anteriore digiti quarti parte exiguum emplaſtrum, ob prægreſſam (ut narratum) menſe abhinc a dolii digito illiſi lapſu contuſionem illuc appoſitum: vulnus id nullius eſſe momenti dicebatur, quippe quod ægro neque dolorem ullum, neque aliud cauſſaſſet incommodum, quodque alius jam opera pene ſit conſanatum. Demto emplaſtro digitus omni caruit inflammatione; verum trans oſculum tam exiguum, quod tenuiſſimi ſtili apicem vix admiſit, paucus tenuis ac pellucidus humor

redde-

reddebatur. Stilo immiſſo animadverti oſſa $2^{dæ}$ ac $3^{tiæ}$ phalangis in articulo eſſe nuda, dumque varie digitum moverem, obſervavi ligamenta eſſe deſtructa, uſumque articuli ex toto amiſſum. Nec ægro, nec amicis ulla ratione perſuaderi potuit, morbum præſentem huic digiti malo deberi; eo quod tribus ante hebdomadis ſanus nullum in illo dolorem, ex quo a dolio contuſus eſt, perceperit. Sanguine detracto amplum dorſo veſicans impoſitum, ac potio emetico-cathartica data abſque ullo bono effectu, cum paulo meliori enemata injecta ſunt. Exhibitus Moſchus, Cortex Peruv. Camphora, & Valeriana magna doſi, at incaſſum. Solis Opiatis, a parva primum doſi exhibitis, ac pedetentim ita aucta, ut tandem per plures continenter dies omni hora Opii gr. j. æger ſumſerit, quin ſolito plus inde dormiret, ſymptomata leniri videbantur, ſed id ad breve ſolummodo tempus, ac ſi uſum opii intermitti contigerat, æger continuo iterum in peſſimum ſuum priſtinum ſtatum revolvebatur. His viſis edocti a me ægri amici vitæ ejus in præſentiſſimo verſantis diſcrimine ſervandæ haud aliud, quam extremi digiti ablationem, ſupereſſe remedium, in id tandem conſenſere: atque ſic phalanx extrema in articu-

ticulo, ſex poſt hebdomadis, quam caſus hic accidit, eſt ablata. At morbus nihil remiſit. Suſpicatus exigua quædam fragmenta, nervoſum ſyſtema irritantia, in extremo mutilæ partis ſupereſſe etiamnum, 4 aut 5 poſt diebus, ubi primum integumenta ac tendines, ſe ſe contrahendo, ab oſſe parum ſeceſſere, hujus extremum forcipe abrupi. Quo facto ſpaſmi continuo & leviores facti, & minus frequentes. Inde doſes Opii ſenſim imminutæ, donec lapſo menſe omnes morbi inſultus ægrum reliquiſſent. Aſt maxilla adhuc rigida perſtitit adeo, ut nonniſi parum diduci poſſet, muſculique abdominis & inferiorum artuum tenſi etiamnum, ægrum abſque aliorum auxilio ambulare non ſiverunt. Verum crebro balnei calidi uſu ſymptomata hæc brevi ſublata ſunt, ægerque poſtmodo conſtanter ſanus, valens, & ad omnes labores peragendos aptus evaſit adeo, ut corporis habitum nec atrox ac diuturnus morbus, nec opium, cujus quinque hebdomadum ſpatio 317 grana abſumſit, præter Laudanum & Syr. Diacodii variis potiunculis admiſta, infregerit.

Hiſt. 224. Tertium memorat PLENCK *a*): viro globus tormenti ℔. 24. pollicem pedis lævi contudit. Vulneri primum fomenta vinoſa

a) l. c. 2. Theil. n. 6. p. 162.

noſa adhibita; ſed cum die 4to vulneri male ſuppuranti anxietas; tuſſis, ardua deglutitio, ac leviſſimus quidam rigor maxillæ ſuperveniſſet, datum omni trihorio Opii gr. j. cum Cort. Peruv. ℥ſs; articulus deligatur unguento ex Ol. Tereb. Balſ. Arcæi, & vitello ovi. Die 5to & 6to ſpaſmus idem, die 7mo autem neglecto pilularum uſu triſmus increvit, & cervix perinde ac dorſum aliquatenus obriguit. Die 9no omni trihorio datæ Laudani gtt. xx. ob deglutitionem ſolidorum impoſſibilem. Die 10mo ob alvum per 5 dies obſtructam injecta bina cathartica enemata. Die 11mo tota ſpina ac maxilla admodum rigebant. Cum opium non proficeret, pollex in articulo ademtus eſt; & eodem adhuc die ſpaſmus aliquantum remiſit. Inde omni trihorio injectum enema e decocti Cort. Peruv. ℥vj. & Opii gr. j. Spaſmus in dies minuebatur, & 8vo ab operatione die prorſus abfuit: die 35to vulnus ex toto coaluit. Ex his itaque abunde patet, quantum in tetani a vulnere curatione amputationi ſit tribuendum. Interea tamen ſi ad omnia advertamus animum, fatendum eſt 1mo) amputationes has fuiſſe nonniſi digitorum, non vero artuum majorum: 2do) facta licet amputatione tamen nonnunquam tetanum, ut ante illam, perſtare: 3^{tio}) ipſi

ipſi ſæpe amputationi ſupervenire tetanum *a*), quemadmodum cuicunque alii vulneri artuum: 4to) eventus felices docuiſſe, amputatione, etiam ubi maxime neceſſaria fuiſſe videbatur, neglecta, datoque Opio q. ſ. aliiſque adhibitis efficacibus remediis, tetanum deſiiſſe; quod idem forte eventurum erat allatis tribus in caſibus, ſi audaciores opii doſes fuiſſent exhibitæ; quantum enim abfuere adhuc datæ illorum doſes a doſi opii GLOSTERI *b*)? Imo hodie cognita ſimul Mercurii in tetano efficacia amputandi neceſſitatem omnem pene ſubmovit, quod egregie evincit caſus puellæ a DE-LAROCHE *c*) deſcriptus. Quid quod præter opium ac mercurium alia quoque ſuppetant præſidia, quæ amputandi neceſſitatem perinde excludere valeant? nimirum

§. 165.

5to DELIGATIO *circumſpecta*, aut *rarior*, aut etiam aliquo tempore *intermiſſa*, ſi nimirum ab ipſius exercitio tetanus vel inductus eſt, vel incrementa capit. Pulchre id confirmat PLENCKII *d*)
Hiſt. 225. caſus: militi in calce pedis lævi vulnus globo

a) Vid. §. 54. n. 2. & §. 133. n. 3. Hiſt. 187.

b) Vid. §. 124. Hiſt. 174.

c) Vid. §. 128 H. 179.

d) l. c. pag. 221.

globo factum aliquo poſt tempore in gangrænam abiit, quæ integumenta communia in vulneris ambitu conſumſit adeo, ut ſiti ibidem tendines prorſus nudarentur. Supervenere ſpaſmi faciei ac maxillæ tetanus, qui poſterior ſub quâlibet vulneris deligatione intendebatur. Medicus juſſit vulnus molli linteo carpto, infuſo Croci imbuto, impleri: faſcias octiduo integro ſolvi vetuit, ſed tantum ſæpius interdiu calido Croci infuſo humèctandas præcepit, atque interdum L. L. SYDENH. exhibuit: quo factum eſt, ut aliquot poſt diebus ceſſarit tetanus, ægerque convaluerit.

SERIES OPERIS.

PARS I.

Theoria Tetani.

LIB. I. Genera Tetani.
Cap. 1. Tetani figurati.
Cap. 2. Tetani continui & intermittentes.
Cap. 3. Tetani acuti & chronici.
Cap. 4. Tetani ſubiti, lenti, protopathici, deuteropathici.

LIB. II. Symptomatologia & ſtadia Tetani.
Cap. 1. Anabaſeos ſymptomata.
Cap. 2. Acmes ſymptomata.
Cap. 3. Paracmes ſymptomata.

LIB. III. Procatarcticæ Tetani cauſſæ.
Cap. 1. Pathemata animi.
Cap. 2. Ingeſta.
Cap. 3. Colluvies primarum viarum.
Cap. 4. Vermes.
Cap. 5. Convulſiones clonicæ.
Cap. 6. Evacuationes.
Cap. 7. Metaſtaſes.
Cap. 8. Febres.
Cap. 9. Contuſio, Luxatio.
Cap. 10. Vulnera.
Cap. 11. Cachexiæ.
Cap. 12. Vellicatio nervorum in loco irritabili.

LIB. IV.

LIB. IV. Proegumena & Proxima Tetani cauſſa, & Diagnoſis.
Cap. 1. Proegumena cauſſa.
Cap. 2. Proxima cauſſa.
Cap. 3. Diagnoſis Tetani.

LIB. V. Prognoſis varia in Tetano.
Cap. 1. Periculi fontes.
Cap. 2. Lethalia indicia.
Cap. 3. Criſes, Metaſtaſes.
Cap. 4. Febris ſalubris, pernicioſa.
Cap. 5. Reliquiæ Tetani.

P A R S II.

Methodus medendi Tetano.

PROLEGOMEN. Indicationes.
LIB. I. Alimenta & Remedia interna.
Cap. 1. Alimenta.
Cap. 2. Emetica, Cathartica.
Cap. 3. Diaphoretica, Diuretica.
Cap. 4. Cortex Peruvianus.
Cap. 5. Arnicæ flores.
Cap. 6. Phoſphorus urinæ.
Cap. 7. Moſchus.
Cap. 8. Caſtoreum.
Cap. 9. Opium.
Cap. 10. Oleum.
Cap. 11. Vinum, Aqua, Glacies.
Cap. 12. Mercurius.

LIB. II. Remedia externa.
Cap. 1. Sanguinis miſſio.
Cap. 2. Enemata.
Cap. 3. Frictiones, Litus.
Cap. 4. Balnea calida, frigida.
Cap. 5. Fotus, Lectus.
Cap. 6. Errhina, Veſicantia, Electricitas.
Cap. 7. Emphyſema arte factum.
Cap. 8. Cuneus.
Cap. 9. Vulnerum tractandorum ratio.

309 ¾
407
407

4502

Krzowitz, J. Fe, De
tetano. Vindob. 1717. Cbs.

1 –